This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

B.-I. 1557

1 — 10.

UNIVERSITE

Digitized by Google

G. N. HEERKENS

AVES FRISICÆ.


Digitized by Google

Digitized by Google

GER. NICOLAI HEERKENS

GRONINGANI

AVES FRISICÆ



ROTTERRODAMI
apud C.R.Hake

M. DCC. LXXX. VIII.

J. L. Anselin sculp. Parisiis

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO

PETRO VAN BLEISWYK,

ORDINUM HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ
CONSILIARIO ET SYNDICO,

GER. NICOLAUS HEERKENS Sal. pl. dicit

Eam curam AMPLISSIME VIR, quam Reipublicæ difficillimis temporibus, Veterum præſtas literis, Curator Academiæ Batavæ attentiſſimus. Nutricula ſtudiorum Batavia, ut eam ſuperiore ſæculo literator Gallus Tanaquillus Faber vocabat, facis, quantum in Te eſt, dici etiam hodie ut mereatur. Foves, & omnes artes & ſcientias adju-

vas,

Digitized by Google

vas, literas Veterum præcipuè: quibus neglectis, aut cultis leviter, hominibus, ſentis, etiam in qualicunque ſcientia ſummis evenire, quod ingeniis in adoleſcentia male educatis. Præter quod incultius, ſiniſtetius, & prolixius notiſſima quæque proponunt, judicium quoque rudius, & ad vanas videntur deviasque ſententias habere apertius. Reformidat eas melius, Veterum, cultiſſimorum hominum, exemplis imbutus animus, normaque videtur præditus ad dijudicanda quæque & proponenda utili. Idque niſi Majoribus noſtris intellectum eſſet, non tantum Veterum literis pretium ſtatuiſſent. Eæ vero, quas Batavos coluiſſe apud exteros pro gloria, & quas neglexiſſe ingénuos pro vitio apud cives ducebatur, eæ literæ AMPLISSIME VIR! quanta communi in

exiſti-

Digitized by Google

exiſtimatione nunc ſunt, Te cum gemitu, credo perſentiſcere. Fato peſſimo, undique ad nos invecto, & ſinum quoque pectusque noſtrum vitiante, magis atque magis indies contemnuntur. Eoque, jam verſis ad læva exempla & frivola ſtudia animis, perventum eſt, ut lingua, qua maximus civis Tuus Belli & Pacis jus gentibus dixit, ad proferendas quascunque cognitiones uti, pæne ridiculum habeatur. Quod infelix barbarumque, licet ſatis commune, faſtidium minimè vereor, ſi quam ab annis jam vicenis ſcriptori benevolentiam, ejus operi tutelam indulſeris.

Dono, dedico, dico hoc Tibi AMPLISSIME VIR, quod, ob multa ſicut Te venerabilem pridem habui, irruentem adverſus barbariem Te ſtatorem quoque, & tanquam in ponte auctoritate Tua

 pu-

Digitized by Google

pugnantem Horatium intueor. Et ſi Latinas literas perire, fatum eſt, extremæ Te venerentur, extremæ nomen Tuum apud poſteros extollant, & quod maximè neceſſarium, extremæ Te ſibi & Patriæ diu incolumem precentur. Quod vivaciſſimis ſicuti votis nunc facio, extremis me facturum eſſe polliceor.

Groningæ, die XII Februarii, anno MDCCLXXXVII.

PRE-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Licet omnis ſcientiæ cognitio ipſumque ſtudium poſt aliqualem profectum perquam jucundum ſit, Naturæ cognoſcendæ ſtudium ea ſibi peculiari abundat amoenitate, ut a principio ſentiatur, & cum aliquantò proceſſeris, in eo ſtudio animum, ut contineas diſtractum quamvis ante aſſuetis pridem diverſiſſimisque ſtudiis. Humanioribus literis, & quæ nunciæ dicuntur vetuſtatis, Hiſtoriarum ſcilicet ſtudio, ab ætatis initio animum applicaveram. Cum verò octavum ætas mea luſtrum unò aut altero exceſſerat anno, ab hiſtoriæ ſtudio non tam mea quam aliena voluntate detractus potius, quam revocatus fui. De celebribus quibusdam viris, & rerum noſtrarum eventis judicia, ſtudii mei fructus, literis Latinis oſtendere, quum non ſatis quieti hominis videretur, animus ad inertiam videbatur damnatus fuiſſe.

Agro natali circa id idem tempus & propter hoc mandatum potius, quam datum, conſilium me incluſeram,

villæque Ovidianum iſtud hemiſtichium, *bene qui latuit, bene vixit*, inſcripſeram. Ruſticæ vitæ, continuis ante & per decennium fere factis itineribus, lucique hominum deditus, nullis popularium meorum, & ne ipſis quidem propinquis idoneus videbar, eoque magis, quod & ſimul profitebar literarum ſtudia diſplicuiſſe. Diſplicuerant: ſed ſicut hoc adjecto & falſo peccabam faſtidio, vitæ genus elegeram multo dulcius; quam quod brevi faſtidiretur, multoque rectius, quam ut longum pateretur cum Muſis divortium. Nihil agere animus cum non poſſet, vacuæque in agris ſuis occupatiſſimo cum ſint horæ, libros devehi in villam, ſed clam & non oſtenſos, jubebam. Clamque aliquamdiu & tanquam interdictos retractans, ſenſim mihi neceſſarios eſſe, deinde etiam vidi animum ſcriptione aliqua, non tantum lectione, occupandum eſſe.

Auguſtæi regni hiſtoriam plusquam aliam doctus, videram cauſas, propter quas exulaverat Ovidius: carus que mihi ab adoleſcentia uſque, & plusquam alius veterum poeta cum fuiſſet, de ejus exilio commentarius primum

Digitized by Google

mum fuit opuſculum, quod ſtudia mea ad calamum revocaverat. Inque ea totus cura, cum tam extremam Auguſti hiſtoriam, debilis ſenecta principis, & metu privigni familiam ſuam verosque amicos abdicantis, tamque Tiberii notitiam, quam operum Ovidii extremorum explicationem & cauſas neceſſariò darem, oſtendebam, quare ſupremis temporibus nihil argumenti propemodum ipſius muſæ ſupereſſet, quam ut animum ad deſcribendos piſces converteret. Potuit exiſtimaſſe, opus hoc curam ſuam mereri. Piſces viderat ad Ponticum mare innumeros, in nullis aliis aquis obvios, indeque, & ob ſingularem naturam oſtendi dignos. Utque eorum deſcriptione gratiam a Plinio tulit, majorem tamen iniiſſet apud omnes poſteros, perficiendo Faſtos: quorum ſex libros Auguſto inſcriptos & luci paratos habuit, cum fugeret; exulque ſeptennii tempore edere, niſi mutatos & niſi extremo ſuo tempore, non auſus fuit. Mutatosque, & Tiberii laudibus plenos, diſplicuiſſe, aut cauſam ſaltem dediſſe vero ſimile eſt, cur a momentoſo opere ad halieuticum transfu-

Digitized by Google

gere ſatius duxerit. Tiberio rerum potito, quam in arcto muſam ſuam viderit, apparet etiam ex ſcriptorum ejus paucitate. Triennii tempore, quod ſub illo inimico ſibi principe exegit, diligens ante in Ponto ſcriptor, non niſi unam aut alteram tantum ad potentes amicos dedit epiſtolam. Stylo parcens, non ſolum ob omnem reditus ſpem depoſitam, ut in alterutra epiſtolarum ſignificare auſus fuit, ſed quod ſupplicando etiam offenſurus eſſet. Piſcium natura & deſcriptis moribus ſuſpicacem dominum, ſatis literatum & piſcium curioſum, ut oſtendi in commentario, aut oblectaturus aut ſaltem non offenſurus videbatur. Sicut igitur prudentiam poetæ ob ſtultitiam exulis, ſicut & quietum ipſius animum admirabar, jamque ſepoſito hiſtoriæ ſtudio ſecutus fueram, ſequendum & illum duxi parili argumento Muſæ meæ delecto.

Aves dixerat Ovidius *ſolatia ruris.* Utque ipſi jucundum ſilvis & innocuum genus, & mihi ab ineunte vita, feliciſſimæque animalium viſæ fuerant. Invectio in adverſariis ab adoleſcente me ad exemplum Drexelii compo-

poſitis, ad *Lemma*, *Poëtæ argumenti jucundioris*; Nicandrum, quem apud Voſſium de avibus videram ſcripſiſſe, juxta Joannem Biſſelium, qui *de delitiis Veris*, & *de delitiis æſtivis* libros compoſuerat. Inque iis libris IV, quos de itinere Italico recte inſtituendo, utque antiquarius totus dedi, me etiam memini in Italia ad aves advertiſſe, & cauſas dediſſe, quare in agro Romano rariores quam in noſtrate viderentur. Cum piſces igitur ab Ovidio ob prudentiam, & quietis ſtudioſum animum, deſcriptos oſtenderem, oſtendi mihi, non piſces, ſed aves deſcribendas eſſe. Piſcium abſtruſior videbatur natura, & quantum ad humanos oculos, ſors eorum minus amoena. Quodque Ovidium ex Plinio, & ex mea divinatione oſtenderam ad deſcribendas piſces illexiſſe, non me alliciebat. Alliciebat ratio ad materiem mihi jucundam, & quæ ex obliquo publica non tangeret. Avesque pridem gratæ cum illam darent; ſelegi protinus, quas magis noſcerem, citiusque deſcriptas, oſtenderem Attico, Meſſalino & Sexto Pompeio meo. Juvitque rude carmen &, in pauca exemplaria deſcriptum typis,

in tantum, ut qui pro Tiberio mihi erat, talia decantantem non duris oculis reſpicere dignatus ſit. Juvitque ſincerius, quod animum labor novus oblectaret. Avicula qualiscunque in ſilvulis meis obvia ſequentem oculis per horulam ſæpe & quam jucundiſſimè detinebat. Coëmeram ornithologos, quotquot dives librorum dare poſſet Batavia: eorumque lectio, ſicut juvabat plus quam alia, oblectabat audire interrogatos aucupes. Sed cum jam multas aves per aucupes, multas per ornithologos cognoſcerem, hæſit animus dubitanti; utrum aves multas ſigillatim paucis verſibus, utrum paucas interius cognitas multis verſibus oſtenderem. Multæ paucis verſibus ex moribus maximè apparentibus deſcriptæ meliores verſus pollicebantur. Paucæ aves percognitæ advertere ornithologos, & eos ad ſe trahere poſſe videbantur, qui præter cantum res in carmine deſiderant. Verſus, inopes rerum ignotarum, huic literis Latinis inimico ſæculo oſtendere, irritus videbatur labor. Videramque aves, quas deſcribere cuperem, ſatis ignotas eſſe maximi nominis ornithologis. Gallos

lin-

linguæ Latinæ contemptores, & maximè utilis linguæ deſtructores pæne, ad legendum Latinum opus ex rebus prolatis cogere, dignus animo videbatur conatus. Quod ut obtinerem, attentionem præcipuam ad vicenas tantum volucres ſatis vulgo cognitas reſtrinxi. Vulgo cognitas prætuli, auxilio futurus inſtructior. Inter eas quidem loxia non eſt. Sed inter primas illam deſcripſeram cognitam ex captiva, & cui deinde compluribus junxi feminas & mares; junctæque mores & deſcriptæ ſpeciem non refutant, niſi quod roſtra aliarum minus decuſſent, quodque minus ex facili cicurantur aliquæ, quodque crebrius ſolito ad nos transfugiunt, forte tamen ob crebriora, & inſolita quæ tulimus frigora. Sicut igitur in hujus avis deſcriptione exiguum ab aliis auxilium, multum in cæteris habui. Amici & conſulti aucupes cum nihil niſi attentionem & fidem darent, innumeri per plus quam ſeptemdecim annos id idem præſtitere, quod Lionetus, quodque Vosmarius, & Nozemannus, viri de hiſtoria naturali ſcriptis ſuis optimè meriti.

Tan-

Tantum igitur adjuta, & tam diu ad vicenas aves cohibita attentio docuit, quod nullis in mentem venerat ornithologis; avium naturam pro earum patria non tantum variare, ſed & diverſiſſimam eſſe: avium perpaucas in remotum peregrinari, quod pleræque ſub autumnum facere videbantur, idque eas propter rationes facere non poſſe, quæ a nullis oſtenſæ erant: avium vitas longiores eſſe oſtenſa ab aliis experientia: avium conjugia aut perennia aut multo ſaltem diuturniora eſſe, quam creditum fuerat: aves denique hominum vitæ & ſaluti utiliſſima & propemodum neceſſaria eſſe animantia: ſtultis in eas legibus ſævitum fuiſſe. Nova & alia lectoribus promitterem, niſi præfationem dictet verecundia. Extendat tamen illam tutela, quam quisquis author debet operi ſuo.

In Diario eruditorum Batavo ignotus, ſed ſatis benevolus mihi ſcriptor, inconſideratum & inconcinnum duxit, maluiſſe me ligata uti quam ſoluta oratione. At, qui gratuitam vineæ publicæ præſtat operam, ut dextra potius quam ſiniſtra laboret manu, inconſideranter exigeres. Suo quisquis ut id faciat modo, concedendum eſt.

eſt. Carmina inter ambulandum proveniunt, piſcatori etiam & venatori. Quatuor aut quinque verſiculos domum reportans, qui nihil ceperat, lætus revertitur. Non comitari ſolet ambulantem cura ſolutæ orationis. Conſiderantur dicenda verſibus & perpenduntur; cum feſtinet cura, cum in ſolutis metro ſcriptis, non ſatis ſæpe, conſideretur. Lector verſibus proſam eloquentiam præferens concedat ſcriptori libertatem ex animo & ex natura ipſius æque profectam, quam quod ille magis proſa delectetur. Cogitet eſſe etiam lectores, qui prætulerint verſus, dolituri, ſi aut Gratius aut Nemeſianus Cynegetica, non auſim dicere, Georgica ſua ſi ſoluta oratione ſcripſiſſet Virgilius. Cultiſſimæ gentes, quæ unquam inter homines fuerunt, libertatem ingeniis auxere. Nicandroque & Æmilio Macro non objecerunt populares ſui, quod uterque volueres verſibus deſcripſerat. Nec ſuo illi tempore tantum, ſed & ſecuto, operæ pretium tulere à fama, & ab hominum doctiſſimorum exiſtimatione. Cajus Plinius ex bis mille voluminibus ſuum naturæ theſaurum conficiens, habuit cer-

Digitized by Google

certè, quod excerperet, & unde compendium ſuum ingentis famæ compleret. Macri tamen & Nicandri teſtimonia, cum de avibus ageret, non modo non rejecit, ſed ex bis mille ſcriptoribus cum centum diceret exquiſitis ſe maximè uſum fuiſſe, exquiſitis Macrum addidit & Nicandrum. Vides eorum nomina ſicut decimo libro, qui Plinii aviarium fuit, & aliis libris plerisque, ut optimorum teſtium adjecta fuiſſe. Invenirem veterum judicia Macro & Nicandro non minus favorabilia & magnifica, ſed cui non fatisfaciat judicium Plinii, nihil ſatisfaciat. Nam ſicut iſtud tam verum, quam admirabile in tribus extremis libris, in quibus de artibus agit, inventum eſt, non potuit iſtud acre & extenſum judicium periclitari in diſcernendis avium ſcriptoribus. Quod præterea, ut dixi, conſonans vetuſtatis fama, quantum ad Macrum & Nicandrum, approbavit.

Licuit igitur, & ſucceſſit quondam apud cultiſſimas gentes tam amoenam materiam, quam aves ſunt, verſibus tractare, & poſt renatas veterum literas quot non poetæ res naturæ multo abſtruſiores verſuum materiam

fe-

Digitized by Google

ſecere? Eorum opera, & operibus meritam apud eruditos famam ante oculos ponere, ſicut a præfatione meâ res aliena eſſet: congruenter oſtendam duos recentiores & Latinos poetas, qui etiam aves, avesque multo cum applauſu deſcripſere. Inque ea illos cultiſſima gente oſtendam, quæ merito jure nobis admodum non modo cara facta eſt, ſed & exemplo influit moribus noſtris. Indeque, oſtendendo poetas eos, gratularer valdius mihi, niſi adjungendum eſſet, pæne ſuæ gentis extremos fuiſſe, qui Latinum carmen apud Gallos ſcripſere. Sunt enim Galli uterque, & Galli, qui me adhuc puero vixerunt. Unus Gallinam, alter Columbam cultiſſimis verſibus, tamque bene deſcriptam dedere, ut apud nullum alium ornithologum penitius eas aves & plenius cognoris. Jo. Antonius Ducercæus, qui Pariſiis anno ſæculi trigeſimo ſexagenarius obiit, Gallinam: Columbam dedit Jacobus Vanierius, qui annos novem poſt Ducercæum Toloſæ deceſſit. Notus eruditis Gallis & exteris uterque. Notior Vanierius, quod Columbam ſuam XV aliis libris junxit, qui prædium ejus ruſticum efficiunt. Ducercæus, qui

de

Digitized by Google

de rebus ad naturam pertinentibus nihil niſi Gallinam & Papiliones deſcripſit, poëtica laude & cognitione avis ſuæ æquavit Vanierium. Minor eſt apud Famam, quod minus ſcripſit. Vidi tamen in noſtris regionibus, qui ad præcepta Ducercæi Gallinaria villis ſuis adjunxere, non qui Columbaria ad leges Vanierii. Quod tamen præferentiæ argumentum raritas videbatur feciſſe Ducercæi operis. Oſtendens Gallinarium, oſtendebat, quod ob exempli raritatem, non imitabile, conſiderabatur attentius, & famam dabat villis. Sunt, qui voluere, ut Gallinam Ducercæi Avibus meis adderem. Sed non conſulerem illis tam pulcra ſocia: & occaſionem haud deſpero, ſi Deus vitam proroget, fore, Ducercæi opuſculum dignis ſociis junctum ut communius faciam. Sunt apud me Dinvillii aves ineditæ, Galli etiam & Latini poetæ egregii: præter & has Aviarium Joannis Rotei: & ſi hæc opuſcula cum Ducercæi Gallina juncta, juſti voluminis codicem non fecerint, addi poterint aliæ viginti aves, decem, duodecim aut quindecim verſibus a me deſcriptæ. Sed dum, de meis jam editis avibus quid

ju-

judicet fama, neſciam, non de pluribus oſtendendis Latinis verſibus cogitandum eſt. Ducercæus Gallinam ſexcentis & ſex hexametris verſibus expoſuit. Editum eſt poema Pariſiis anno ſuperioris ſæculi nonageſimo ſexto: & haud multo ante ſcriptum, fuiſſe, docent verſus extremi,

Hæc ego Neuſtriaca degens tellure canebam,
Attonitis Rheni dum Gallus victor in oris
Feſta triumphali præcingit tempora lauru.
Jam *Stinkerkæi fumarant* ſanguine campi.
Tu quoque, prætentas muris dum fulminat arces;
Et trepidum aſpectu Lodoicus territat hoſtem,
Ingens corrueras (triplici licet ordine vallum
Surgeret, & grandes regnarent undique foſſæ)
Spectante Auriaco, Batavo indignante Namurcum.

Vanierii Columbæ quantumcunque cognitæ & nonnihil poſſum adjungere, pleriſque amatoribus ejus ignotum. Scripſerat (& ediderat hanc credo) Toloſæ, cum an-

** num

Digitized by Google

num vix exceſſerat vitæ vigeſimum. Prima editio, (quam ex dedicatione ſecundæ editionis præceſſiſſe credo) nunquam oculis meis, diligenter licet in Galliis perquiſita, oſtenſa fuit. Oſtenſa eſt ſecunda, quæ anno ſuperioris ſæculi nonageſimo ſexto cum Vitibus & Vino, duobus alteris Prædii ejus Ruſtici libris, cumque Ducercæi Gallina, Pariſiis data eſt. Dedicationem habet hæc editio, quam, ſi tum facta primum eſſet, non in tertia editione, undecim annos poſt ſecuta, rejeciſſe author videretur. Potuit Toloſanæ curiæ præſes, cui inſcripta fuerat Columba, è vivis deceſſiſſe. Sed prioris patroni intra undecim annos facta oblivio tam præceps videtur, ut dedicationem antiquiùs credam factam fuiſſe. Tum ſcilicet, cum ſcripta, & forte Toloſæ edenda fuerat Columba. Quo anno Columba ſcripta ſit, teſtantur extremi poematis verſus, in ſecunda editione & qui in nulla poſt ſecuta videntur. Ideoque oſtendi merentur: ſunt novem, & tales.

Hæc cecini ſuper ingenio cultuque columbæ:
Bello & pace potens placitas quo tempore leges

At-

Attonito magnus Lodoix dabat arbiter orbi.
Jamque triumpharat domitis prædonibus æquor,
Et conjuratas inimica in foedera gentes:
Junxerat & geminum nova per commercia pontum.
Cum majora movens animo fortiſſimus heros
Hæreticam oppreſſit peſtem, victorque volentes
Et Chriſto populos & avitis reddidit aris.

Sicut ex iis verſibus vides Columbam anno ſæculi prioris octogeſimo quarto ſcriptam fuiſſe, indeque ſcriptoris ætatem colligis, qui viginti annos ante die nono Martii haud procul Biterris in vico *Cauſes* natus fuerat: vides ex rejectis in tertia editione verſibus, authorem aut invidioſos verſus damnaſſe, aut jam intellexiſſe Regem, revocati Nannetenſis edicti pænituiſſe. Tertia Columbæ editio novem alteris Prædii Ruſtici libris juncta, data eſt Pariſiis anno ſæculi hujus ſeptimo apud Joannem Le Clerc, via Jacobæa, ad inſigne Sancti Lamberti e regione Sancti Yvonis. Eſtque hæc pulcerrima omnium, quam vidi, ſive typos, ſive figuras, decem libris præ-

Digitized by Google

ſixas, vides. Propterea etiam pretioſa, quod aliquot verſus aut omiſſos habet, aut poſt ita mutatos, ut omiſſi videantur. Sicut editio Columbæ, quam ſecundam habeo, verſus trecentos tantum & viginti tres complectitur (connumeratis novem verſibus, quos author, ut dixi, rejecit) tertia verſus habet quadringentos & viginti ſex. Credo ſecutas fuiſſe editiones ante ultimam authoris, mihi non oſtenſas. Ultima autem ab authore anno ſæculi trigeſimo data, verſus continet quadringentos & quinquaginta ſex. Eſſetque hæc auctior & correcta & extrema authoris, omnium optima, ſi figuras haberet figuaris editionis ſecundæ bonitate pares, &, ſi typis majoribus eſſet facta. Novem licet annos poſt author vixerit, Columbam nullo poſt verſiculo, nec & ullo etiam cæteros Prædii ſui libros inauxit. Nam ſi quos emendatiores verſus reliquiſſet, operi celebrato, ab ejus ſocietatis hominibus additæ fuiſſent editionibus, quæ crebræ ejus mortem, Pariſiisque, ſecutæ fuerunt. Longior in utroque ſcriptore oſtendendo fui, quoniam ad eorum exempla deſcriptiones avium mearum, præcipue extremas, direxi,

rexi, maxime etiam, ut a tantis exemplis argumento meo accederet dignitas.

Nolo fidem viſis, aut mihi ab alio quoviscunque relatis, adſtruere. Judicio in accipiendis relationibus me uſum puto: & veritate ſcio in iis, quæ juxta oculorum meorum fidem retuli. Nihilque de ulla ave tam prodigioſum habent verſus mei, quam quod de Polonis vulpibus in ſuo refert Antilucretio Poligniacus: & qui tamen a nullo non creditus fuit propterea, quod ligata narrator uſus eſt oratione. Cumque, de vulpibus quod refert, doceat, quadrupedes æque ac volucres, pro patria variare, vulpes Polonos ejus oſtendam. Multo eos numero eſſe ſcribit in iis Sarmatiæ partibus parum ab hominibus inſeſſis; congregari, gregesque gregibus bellum inferre, pugnantesque miſceri ſic, ut in acie non niſi hoſtem lædant aut interficiant: victoriæ propiores de captivis cogitare, captosque hoſtici gregis ſeponere: non ut eos poſt ſævius trucident, ſed ut grex victor ſervitiis non indigeat, quibus & mox ad ampliandas foveas utuntur. Captique non modo ſtipulas, ad ſter-

nendos fovearum lectos, ſed & remotiorem prædam ore ad foveas contrahere jubentur: prædæque aut palearum devectio ob ſubitum frigus ſi moram non patitur, domini captivis pro plauſtris utuntur: ſternuntur ſupini, interque erecta ſupinorum crura coacervant, quidquid oneris ventres ferant. Tum caudas onuſtorum ore corripiunt,

Eraſoque vias miſerorum tergore verrunt.

Id ſe non accepiſſe ab aliorum ore, ſed oculis ſuis vidiſſe teſtatur Poligniacus,

qua turbidus ire Danaſtris
Incipit, & patulos Dacorum allambere campos.

Quid ad hoc vernæ hirundines, lacu emergentes Norvagica, aut cavó arboris trunco in noſtris terris prodeuntes? Verſus & notas legerit, dabit fidem illuſtriſſimus Guenaldus relatis & viſis meis. Novi, & vidi humaniſſimum ejus animum. Contigit enim Pariſiis, aves in regio imaginum muſeo pulcerrimè depictas, unà ambo ut videremus. Mihique tam ignotus cum eſſet nomine,

ne, quam ego ipſi; contigit, poſtquam de patria me interrogaſſet, aliquas aves, quæ apud nos eſſent, & quæ non eſſent, oſtendere ut rogarer. Proptereaque & me ignotum in Turdis, puto, allegavit, ſicut nominatim in Hirundine & Ciconia. Ego autem ſimul ac de faſciculo avium, in pergamenopictarum, diſceſſeramus, ejus nomen a cuſtode regio accepi. Gratulatusque mihi ſum non ſemel, ornithologum illuſtrem etiam ex vultu innotuiſſe, quem multa ſæpe cum jucunditate legi. Sed à ſcriptore tantæ authoritatis negata verſibus meis fides, cum notas videbatur avibus meis neceſſarias facere, notæ judicia ipſius, ſicut aliorum ſcriptorum & Nozemanni cariſſimi viri impugnarunt. Idque negatæ fidei nimis memores, ſi acrius interdum fecerint, profitetur ſerius ſcripta præfatio, illuſtrem ſcriptorem merito ſuo maximi a me fieri, & cordi mihi ejus amicitiam, promptumque obſequium fore, ſi hoc uti forte voluerit in ulla re, aut in habenda noſtratis aviculæ notitiâ.

Dixi jam ſuperius me præter has nunc editas, alias decem aves ſcripſiſſe. Earum quidem plurimæ typis jam

jam ſigillatim oſtenſæ: non vero, ut nunc ſunt. Dies diem docet: &, ſi non multo emendatior, plenior facta eſt deſcriptio. Gaviam hexametris plusquam ſeptingentis, & Anatem haud multo minoribus numero deſcripſi. Cæteræ octo aves elegis oſtenſæ: & hæ Alcedo ſunt, Ciconia, Turtur, Cornix, Corvus, Paſſer, Fringuilla & Perdix. Sed harum priorum decem auctior editio, annis plusquam tribus & propemodum quatuor ſub prælo alſit magis, quam ſudavit: tamque algens ſi ſequatur diſtributio; non ſperem fore, alias decem junctim recuſas ut videam. Notas ſaltem ſeniori addere diſplicuerit: eoque magis, quod opuſculis aliis pridem a me ſcriptis, corrigendis, edendis aut conjunctim recudendis impendendus eſt labor. Pigrum tamen me, anno licet jam ſexageſimo impleto, non eſſe, oſtendent Icones quædam illuſtrium virorum, intra paucos menſes lucem viſuræ. Dabam hæc Groningæ die XXXI Januarii anno MDCCLXXXVII.

GER.

GER. NICOLAI HEERKENS

AVES FRISICÆ.

ALAUDA.

Prima avium noſtris dicetur Alauda libellis,
  Omen felici nomine quod det avis,
Quodque licet multum de frigore, deque malignis
  Aucupibus tulerit, mox tamen aſtra petit.
Prima avium, ſimulac de frigore bruma remiſit,
  Sol ſimulac piſces tangit, alauda canit. (1)
Nec placet ulla magis, quam quæ ſuper æthera ſummum
  Vecta canens, hiemem præteriisſe monet.
Suſpicit ad primas, quas audit ab æthere voces,
  Ac ceciniſſe domi narrat arator avem.
Eſtque dies anni pro tempore lucida, cantu
  Quam recreat, pluvio non ſubit aſtra die.

Unica tam recto contendit in æthera gyro,
Unica dulce, volans, inter & aſtra, canit.
Singula quæque dies, non ſolo ut teſte refertur,
Septena volucrem ducit in aſtra vice. (2)
Temporaque obſervat, Sicula meſſoribus ora
Ceſſandi tempus voce ſilente dabat.
Poſtque dies medios audita meſſor alauda
Ad falcem rediit & grave ruris opus.
Curſibus aëriis & frigus cantibus obſtat,
Quod per humum cogit pabula ſola ſequi.
Quæque canunt, ab amore calent; friguſque reverſum
Igne novo ſocias forte calere vetat.
Non minus ad venerem citius nidumque vocatur,
Quam, qui deſcribunt, teſtificantur, avem. (4)
Martius extremus mihi præbuit ova volucris,
Ante dies Maii quam peperiſſe negant.
Nidificat ſegetes inter, perque herbida rura,
Quæque frequens juncus ſtirpsque paluſtris obit.
Quos ponit nidos, inflexo gramine condit,
Arva quibus radens falco timendus erat.

Et

Digitized by Google

Et pluvias arcet viſendo tegmine nidis, (5)
Quos nimis eſuriens ſæpe relinquit avis.
Ovaque dicuntur per ſolis habere calorem
Plus animæ, incubitu quam daret ipſa parens.
Sed quibus ovorum non provida mater habetur,
Dicetur pullis conſuluiſſe ſuis.
Tacta hominum manibus ſimulac cunabula ſentit,
Sentit enim, implumi cum grege carpit iter.
Pectoreque & roſtro provolvere corpora mater
Dicitur, ac tutam non prope credit humum.
Ter parit, & curas æſtatem extendit in omnem,
Sirius ut cujus ſæpius ova coquit.
Bis matrem Saxo, ſemel & Sileſius author (6)
Scribit avem fieri, frigore nempe poli.
Sed ſi nullum animans natum borealibus oris
Foecundum minus eſt, cur minus eſſet avis?
Frigidior noſtris quantum Sileſia terris,
Saltem ubi ſe planis Odera fundit agris?
Terque, ſatis conſtat, noſtram peperiſſe volucrem,
Auſoniis partu matribus ergo parem.

Digitized by Google

Aſſervatque ſuum conſtans natura tenorem,
Alterat & cauſa nulla creata levi.
Adde, brevi numero quod parturit ova, brevique
Quod cubat, & teneras tempore paſcit aves.
Adque ſui curam curſumque repente valeſcunt,
Et Majis volucres idibus eſſe ſolent.
Quid faceret, dulci caritura libidine mater?
Poſt cantum cælo nec genus ulla daret?
Tamque frequens quinis avis aſpiceretur ab ovis?
Omnia quæ teſtem mente carere docent.
Et tamen huic teſti tam vano præbuit aures,
Buffoni celebres qui modo finit aves.
Plus apud authores dubiis obnoxia res eſt.
Transfuga ſitne latens per grave frigus avis?
Nil primum ſtatuas, volucri quod in omnibus oris,
Conveniat, juveni conveniatque ſeni.
Non latet ulla locis, fugit & neque frigus in illis,
Quæ ſemper victum dant loca, quæque tepent.
Sed minus apricis tepidisque receſſibus, algens
In vicina fugit; parsque manere ſolet.

Pars

Pars juvenilis abit, ſeniorque pericula curſus
Quod timet, aut frigus quod ferat acre, manet.
Nullas ſervat hiems, quà montibus ardua tellus,
Aut boreæ propior frigora ſæva facit.
Sopita Agricolæ, cui teſti credere fas eſt,
Viſa fuit ſcopulis Saxonis ora tuis. (7)
Contra ubi Vandalicum ſe Viſtula fundit in æquor,
Fert hiemem planis aptior ales agris.
Kleinius inde avibus nunquam fugientibus addit,
Gallia quam profugam noſlraque terra videt. (8)
Nos profugam ſcimus, quod, hiems ut ſervet alaudas,
Ter numerat plures Pleïas orta greges. (9)
Pars igitur fugit, vicino inducta tepori,
Aura ſimul noſtris prima rigeſcit agris.
Credere non poteris per frigora prima latentes,
Vandala quas cælum bruma tenere videt.
Sed quoque Vandalicæ per frigora ſæva lateſcunt.
Sub ſaxis junctas arboribusque vides.
Nec procul a vero eſt, quod avis, magis Arctica quæ ſit,
Intenſum frigus condita vitet aquis.

Digitized by Google

Perſimiles vidit ſtagnis latitare ſub altis
Borrichius, Dano clarus in orbe ſenex; (10)
Atque ubi longam hiemem bene ſturnus, hirundo, va-
Cur ibi longam hiemem non & alauda ferat? (nellus,
Adde, quod & frigus gelidis ita prævenit oris,
Non ut ſe tepidis inferat ulla locis.
Nec dederint contra penetrabile frigus aſylum,
Quas ſcopulus ſedes & cava quercus habent.
Una palus igitur ſuſceptas protegit undis,
Exſurgens terra ſervet ut æſtus avem.
Sed dum teſtis abeſt, non divinata tuemur,
Fama quibus veniens forte datura fidem eſt.
Noſtra avis, ut dixi, per frigora nulla lateſcit,
Sed quæ turba manet, fert grave frigus agris.
Et quæ tum volitant, cicures velut, horrea circum
Ruſtica, perque vias perque ſalicta volant.
Paſſeribus volitant, ſpizis, & acanthide junctæ,
Noctibus auxilium ſint ut utrimque ſibi.
Noctibus omnis enim tam diſſona turba coire,
Anguſtèque ſolet, quà cava cunque patent.

Foe-

Foeni ingens cumulus, cereali ſtramine tectus,
Qui ſtat agris, junctas ſæpe recepit aves.
Noctibus exactis, quæ lucem tertia cælo
Reddidit hora, greges radere cogit agros.
Graminibus ſegetumque herba veſcantur, oportet,
Juncta quod inventas turba flagellat opes.
Ergo ut dura avibus, nec larga manentibus eſt ſors:
Quas vetulas auceps calcis ab ungue videt.
Quæ fugiunt, noſtrisque locis per frigora deſunt,
Diſcedunt, ſtrepitum non faciente fuga.
Advena turba tamen per Gallica rura notatur,
Aucupibusque frequens præda venire ſolet:
Nec minus a Batavis capiuntur vere propinquo,
In patriam reduces dum mare verſus eunt.
Sed quibus hibernas coquus interfecit alaudas,
Corpora macra, veru non meritura, necat.
Adde, quod infelix male manſis oſſibus eſca
Sæpe comeſtori viſcera tota ſecat.
Quæque canit volucris tam dulce diuque per auras,
Septembris primos nec ſilet ante dies, (11)

Inſtar luſciniæ, per leges tuta volare,
Debueratque ævum vivere poſſe ſuum.
Deſtruitur noſtris minus, & ſi præda ſit, oris,
Præda ſit, ut caveis ſingula ſola canat.
Prima eſt cura marem legere, & cura altera pullum,
Aut ætas cujus non ſit adulta nimis.
Spernit enim ſenior caveam, ſpernitque doceri,
Si quid avem cantus forte docere voles.
Sub cauda maribus brevis una nigerrima pluma eſt,
Et macula auriculis nigra ſubeſſe ſolet.
Quemque ſenem noris prælongo calcis ab ungue,(12)
Vitalis, cavea nec tibi cantor erit.
Vimina, ſeu caveam virgarum argenteus ordo
Formet, avi ut bene ſit, nec dabit, unde canat.
Sed, ſit ut ampla domus, purgataque ſæpe, neceſſe eſt,
Puraque captivæ ſternat arena ſolum.
Sæpe virens ceſpes, renovetur ſæpius unda,
Efferat utque ſolo ſe viror ille, juvat.
Cumque ſalutari ſuper omnia gaudeat aura,
Plurima, des, caveam perflet ut aura tuam.

Ve-

Vere novo imprimis, fac, pendeat ante feneſtras;
  Mirum eſt, ut ſtreperis urbibus inde canat.
Dicitur expertis, tricenos poſſe per annos
  Vivere. Vixit avis cognita quinque minus.
Hordea nec præter, paleis mundata, dabantur.
  Raraque de trita cannabe menſa fuit.
Nec tamen arguerim, quod braſſica ſecta minutim,
  Herbaque, ſi deſit braſſica, detur avi. (13)
Cordaque ſubjungas conſciſſa, minutaque valdè.
  Libera vermiculis, ut bene vivat, eget.
Liberaque in bruchos fertur, viridesqne locuſtas,
  Quosque oblectat avis carmine, purgat agros.

Digitized by Google

NOTÆ.

(1) *Verſu* 6. Sol piſces ſubit apud Friſios circa diem XX Januarii. quo circiter tempore interdum, frequentius tamen cantus incipit alauda ineunte Februario. & apud Sileſios ſecundò menſis hujus die conſueſſe cantus incipere ſcribit Jo. Colerus. OEconomia ruris Lib. XV. 475.

(2) *Verſu* 16. Qui teſtes dicunt ſepties de die alaudam canere, inveniuntur apud Aldrovandum, tom. II. lib. X. pag. 836.

(3) *Verſu* 17. Alaudam nunquam meridiano tempore canere, & ceſſandi tempus meſſoribus Siculis ſilentio ſuo fèciſſe, ſeripſit Theocritus Eydillio VII.

(4) *Verſu* 26. Scriptores avium, prope ad unum omnes, dicunt menſe Majo prima vice alaudam parere: qua in re docti viri, qui ſe exſcribunt, ruſticorum pueris refelluntur.

(5) *Verſu* 35. Nidi habent aditialem viam ad duos pedes longam, gramine inflexo contectam, nidoque præmunitam, ut avis ex alto ad ova ſua deſcendens, accipitri aut ſpeculatori inſidioſo nidi locum non oſtendat.

(6) *Verſu* 45. Friſchius Lipſienſis imagines avium dedit, coloribus diverſiſſimas plumas vividè imitantibus, ſumptuoſum opus, nec minus in deſcriptionibus adjectis curatum; ſed in quo contra experientiam communem duas tantum cubationes dedit alaudæ. Unamque cubationem

Digitized by Google

nem Sileſiis alaudis dat Suencfeldius in Aviario ſuo Sileſiæ, quod opus edidit anno tertio ſuperioris ſæculi. fuit medicus Hirsbergenſis, quod eum vixiſſe denotat in Sileſia plana minusque frigida.

(7) *Verſu* 77. Georgius Agricola ſcripſit de animantibus ſubterraneis commentarium, inque opere iſto notiſſimo de alaudarum ſomno hiemali loquitur quod tamen ornithologos nequaquam advertiſſe videtur: quamvis opus a viro non minus probo, quam phyſicarum rerum ſcientiſſimo ſcriptum ſit. Vixit in Saxoniæ parte maxime montoſa, quæ Misnia dicitur, jamque annos ante ducentos & quinquaginta.

(8) *Verſu* 81. Jac. Theodorus Klein attentus avium obſervator, ſcriptorque brevis & minimè nugas ſequens, dicit alaudas in agro Gedanenſi per hiemem videri; frigore autem intentiore ſub arborum veterum radicibus, ſubque ſaxis in agro obviis lateſcere. Indeque avem minime transfugam & erraticam credit. Quod verum eſt in omnibus terræ partibus, præterquam in iis, quæ ad vexandam avem ſatis gelidæ ſunt, ſed ex quibus volatu unius diei in tepidiora loca perveniat. dicendum igitur, uti ſæpe de avibus Ariſtoteles: non peregrinatur niſi in vicina.

(9) Initia autumni deſignat Ovidius plerumque per ortum pleïadis, quæ apud noſtrates ante Septembris idus videtur. ab iis vero idibus uſque ad idus Octobris maximi greges alaudarum apud nos videntur & in Sileſia, uti Colerus teſtificatur.

(10) Operæ pretium eſt Olai Borrichii verba adducere. In commenta-

tario de animalibus hieme ſopitis ita loquitur pagina 310. „ neque in „ Dania noſtra alienum eſt videre, extrahi paludibus ſturnorum, vanello- „ rum, hirundinum manipulos, fundis earum impacta fuſcina piſcatoria. „ Stuperque nauticum genus, pro anguillis hærentem ferro videns lon- „ gam volucrum ſibi innexarum ſeriem, quam foco admotam ex iſta „ hiemali morte reſuſcitant" in academia Hafnienſi commentarium præ-legit, virumque gravem ſumma fide & eruditione notum, ita apud ſuos loqui & ſcribere velle, ut mentiri videatur, quis credat?

(11) Alauda juxta Colerum canit uſque ad diem Bartholomæi in Sileſia.

(12) Kleinius ſcribit alaudarum ætatem cognoſci ex calcis ungue longo aut brevi. avi ambulatrici is unguis ad incedendum datus. Conrado Geſnero viſus eſt æquaſſe duorum pollicum latitudinem.

(13) Quæ de alaudarum domeſticarum victu dixi, licet ex propria experientia habeam, confirmantur teſtimonio Coleri. vide ejus Oeconomiam Ruris libro XV pagina mihi 475. corda etiam minutim conſciſſa dabat Romanus obſervator Olina. ſed huic ſoli non fideres, quod aviculis ſuis ſemper minus ævi attribuit, quam apud bonos cuſtodes habeant.

LO-

Digitized by Google

LOXIA (1).

Loxia, mandibulis ſe decuſſantibus ales
Unica, habet pennas vireo pene tuas.
Corpus habet majus, caput & pro corpore magnum,
Congener unde tibi pyrrhula viſa fuit.
Sed neque paſſeribus caput eſt pro corpore parvum,
De quibus, ex facili quod cicuretur, habet.
Turdis, non video, ſimilis quod dote ſit ulla,
Et genus inde etiam ducere fertur avis.
Quidquid id eſt: ſilvis ætatem degit in altis,
Piniferis gaudens aëriisque jugis.
Nidificat noſtris igitur procul abſita campis,
Transfugaque autumnis, nec niſi rara, venit.
Cumque venit, totis eviſcerat omnia ramis
Poma, cibum rapiat ſemen ut inde ſuum.
Nec minus obſtrepitans ceraſo ſuper arbore, gemmas
Naſcentes ramis depopulatur opes.
Non nimis unde hortis venit acceptabilis hoſpes,
Ultra quam credas, queis dare damna ſolet.

Sed

Digitized by Google

Sed non ſæpe venit, numeroſaque turba moratur
Tam nihil, ut, longum quem premit, ales, iter.
Vidit hiems caveis habitantem tertia noſtris,
Quas hoſpes domui plus ave carus habet.
Non quod dulce canit, licet omni tempore læta
Voce ſonans, nullo ſit taciturna die.
Sed quia ſponte cicur facta eſt, & pervolat ædem,
Mille jocis omnem quam recreare ſolet.
Noſcit amatque ſuos, humeriſque ſuperſtat eorum,
Quos, vehementer amans, gaudet adeſſe ſibi.
Nocte ſubit caveam, ſeque in ſua tecta receptat,
Nulla ubi membra domûs aut nimis aucta videt.
Tamque cicur viſa eſt, non intellecta, feroxque
Cum nimis, & rupto carcere viſa foret.
Sæpe quidem caveam roſtro vexarat adunco,
Sæpe omnes virgas, quæ loca ſedis erant.
Tandem Indos poſtes & ahenea clatra peredit,
Veſtibulumque domûs pervolitabat avis.
Sed ſimul altorem conſpexit amata ferentem
Semina, ſigna metus nec dedit ulla fugæ.

Bis

Bis ter ubi recipi manibus ſe paſſa fuiſſet,
Janua captivæ ſemper aperta ſtetit.
Poſt neque vexavit caveam virgasque ſediles,
Nec ſibi plus alio viſa placere loco eſt.
Exit avis, quoties vultum reſalutat amicum,
Caraque præ ſolita cannabe fercla videt.
Fercula cara nuces nucleique & ſemina pomi:
Nullaque araneolo carior eſca venit.
Itque ruitque foras, quoties venit ante feneſtram,
Quà mea per brumam pabula paſſer habet.
Sed ſatis ante oculos avis unica. Qualis in altis
Montibus, & volucris ſit fera, ſcire cupis?
De Gothicis, ſcopuliſque tuis Norvegia ad Helles
Litora, ſilvoſis fertur ineſſe jugis.
Omnibus autumno pars plurima montibus exit,
Sed nimis Arctois non ſit ut ulla ſuper.
Forte jugis Gothiæ profugas Germania ſervat,
Teutonicisque jugis noſtra fugatur avis.
Nam ſi, quæ Gothica eſt, nimis auſtrum verſus abiret,
Tam fuga, quam reditus vix faciendus erat.

Non

Digitized by Google

Non natura jubet, quod ſit grave, ſitque periclo;
Partubus & vernis cur mora ſæpe foret.
Turba deinde fugax tantum in vicina recedat,
Ne patriæ pereat ſenſus & aura gregi.
Non mihi aves vernas quisquam Nilotide terra,
Deque tuis revocet Guinea terra jugis.
Tam procul unum hominem ſpes impia diſtrahit auri.
Proximior patriæ, quod juvat, ales habet.
Quod ſi ita non eſſet, vix avia turba rediret,
Terraque multa ſua ſæpe careret ave.
Tot ſemel in Batavo fringillas litore merſas
Vidimus, Arctöo vix quot in orbe volant.
Æſtu projectæ ſtadia ad bis ſena tegebant.
Litus: & has turbo ſtraverat unus aquis!
Quid, ſi bis ſpecies tantam ferat una ruinam?
Caſibus immenſum ſæpe ſubeſſet iter.
Non ergo ulterius, quam ſit ſatis, ulla recedit,
Hæret & in primis transfuga ſorte jugis.
Sed mea de Gothicis, ſeu Loxia Teutonis ales,
Tres annos magni pars fuit ante gregis.

Grex

Digitized by Google

Grex ut multus enim, magnus venit: itque per hortos,
Pomiferumque brevis deſtruit hora nemus.
Abſtinet & volucrem ſtrepitus nec ab urbibus ipſis,
Innatam ſilvis ſepoſitiſque jugis.
Dicitur hiberno nidum ſibi condere Jano:
Fabula Vandalico credita jure ſeni. (2)
Nulla ſuis hiemem præſumit amoribus ales:
Nec velit hoc gelidis vivere ſueta jugis.
Si tamen hibernis pareret glaciata pruinis,
Ad Veneris, credo, vere rediret opus,
Nam quæ de parvis ales vice parturit una,
Et quatuor tantum, quina vel ova parit?
Congeneremque author parientem vidit Aprili,
Undique cui noſtram ſcripſerat eſſe parem.
Non dare conor aves, quas ingens educat orbis,
Sed data ſollicitæ pagina mentis erit.
Autumnis, dixi, patriam quod transfuga mutat,
Æſtûs id fieri tempore teſte caret. (3)
Præveniat paucis autumnum ſolibus ales,
Præcoce de patriis frigore pulſa jugis.

Et projecta noto, diſtantibus adſit ab oris.
Sed meſſis profugum non videt hora gregem:
Meſſis, & id tempus, volucrum quod ſervit amori.
Tam natura nihil, quod prope pugnat, habet.
Geſnerus nutrivit avem, mutamque per æſtus
Aſſerit: una quaſi denotat omne genus!
Naturæ errorem putat alter acumina roſtri:
Curva tamen terris omnibus eſſe ſolent.
Erraretne parens rerum tam ſemper in una
Alite? cui præſtat, quod fuit error, opem.
Aſpice veſcentem. nucleis ut acumine ſemen
Extrahit! ut pendet, quà male ſtaret, avis!
Pſittacus in cavea non tam bene pendet ab ore,
Unguibus inquirens ſcilicet o e locum.
Unguibus hæret avis, cum tollit acumine roſtri
Difficilem ramis corticibusque cibum.
Pſittacus arte pari ſilvis ſibi conſulit Indis.
Cui roſtrum vitio quis putat eſſe ſuum?
Pſittacus utque, cibum ſibi Loxia porrigit ungue,
Pſittacus & dici Teutonis illa ſolet.

Teu-

Teutonia, dixi, profugam me credere noſtram,
Amaſis ad fontes, quamque Viſurgis habet.
Tamque prope eſt nobis, licet annis pyrrhula raris, (4)
Viſaque ſub brumam non numeroſa venit.
Unde, frequens volucris natalibus an ſit in oris,
Haud numero veniens turba minore docet.
Pyrrhula, quod ſcimus, Cheruſcis plurima reſtat,
Tum quoque, cum viſa Pleïade multa fugit.
Alpibus in mediis turdos merulasque November (5)
Pene mihi medius ſæpe videre dabat.
Et tamen, ut notum, pars plurima montibus exit,
Ad primum planis tradita frigus agris.
Quod qui perpendes, juvenes diſcedere forte,
Et ſi non juvenes, dixeris ire ſenes.
Forſitan & media volucres ætate morantur:
Turbam omnem haud peregrè ſemper abire, ſat eſt.
Dicimus, haud ſemper: quia, quà fera frigora regnant,
Non peregrè ſolitas ire moramur aves.
Loxia plus aliis tamen acria frigora perfert,
Ut quam etiam pelagus trans glaciale vides,

Digitized by Google

Anglia Gronlandis transmiſſam accepit ab oris. (6)
Scis, quàm ſub gelido terra ſit illa prolo!
Tamque parum acceſſo quæ conditur orbe volucris,
Certa parum numeri dat tibi ſigna ſui.
Arctos præcipuè ſi devia mittat eandem
In noſtras profugam Veſpuciique plagas.
Cenſet enim id fieri ſcriptor, cui deſes habetur
Loxia, natura nec numeroſa ſua.
Sed nimis attineor ſcriptorum erroribus. Ales
Notior haud alias, quam celebramus, erit.
Dicitur Houtuno priſcorum Loxia. Priſcis (7)
Loxia, non video, cognita quod ſit avis.
Non Aldrovandus, non Olina pinxit eandem,
Ovaque Zinnannus, qui ſibi nota dedit.
Unde jugis Italis ignota vel abdita valdè eſt,
De qua tam Veterum quam nova fama ſilet.
Olina congenerem, Græcisque Belonius oris
Vidit, Ariſtoteli quam latuiſſe putes.
Nam, licet haud roſtrum cruciet per acumina, roſtro
Præſignis craſſo eſt, indeque dicta foret.

Cum

Cum tamen haud patrias habitet, neque pervolet oras,
Quæ reſtant, noſtræ verba dabuntur avi.
Pene videretur quod vireo, diximus: eſtque
Perſimilis, vultus quæ ſedet ante meos.
Sed virides inter conſpectas Pleïade rara,
Pars prope caneſcit, pars prope tota rubet.
Obſervatque ididem ſilvis Melibocus in altis, (8)
Qui tamen à viridi tegmine dicit avem.
Nidus ibi, pini ſub ramis abditus imis,
Viſus Marte novo eſt, ovaque trina tulit.
Teſtibus id didici: ſed quis color eſſet in illis,
Neſciit hæc referens, quod rude vulgus erat (9)
Ad quam avis ætatem, caveis rariſſima, vivat,
Quis niſi pro certis dans ſua viſa canat?
Olina congeneres ad ſeptem credidit annos
Vivere, ſed volucrum non probus altor erat.
Nam minus aſſignat plerisque volucribus ævi,
Quam ſcio, ſervatis non male, poſſe dari.
Ætas grandis avi ſua lumina contrahit, inque
Palpebris rugas ſeria monſtrat anus.

Idque valet: quantoque magis venit ales ad annos,
Apparere magis tradita ſigna vides.
Nondum ſigna oculis habet hæc mea Loxia; nondum
Seria, nec, tanquam cogitet usque, ſedet
Laſciva eſt, ut pullus, avis. Sponderet & augur,
Quod ſaltem captæ vita biluſtris eat.
Manſus deinde cibus, moresque & fortia membra
Non ævi volucrem perbrevis eſſe docent.
Vivacemque facit, quod Pſittacus eſſe videtur,
Sed tibi pro certis non mea viſa cano.

Digitized by Google

NOTÆ.

(1) Loxiæ nomen recens. Avem veteribus indictam, denominavit Geſnerus; Hominisque Germani Latinum vocabulum ſecutis ſcriptoribus placuit. Neque durum eſt, & infelix; carmini certè convenientius coccothrauſtis non fuiſſet: quo nomine ab Heſychio & a recentioribus loxiæ congener denotatus fuit. Coccothrauſtes Loxiæ ſatis ſimilis, excepto roſtro, quod per acumina ille non decuſſat, & quod craſſius eſt & brevius, quam in Loxia. Unde pro eadem prorſus volucre ſumi non poteſt. Quantumque à congenere differat, argumento eſt, quod, ob roſtrum ſe decuſſans, unica avis Loxia ab aliquibus eſt appellata. Et in omnibus linguis hodiernis proprium ſibi vocabulum accepit. Belgiè *Kruisbek* dicitur, Gallicè *Bec croiſé*, Germanice *Kreusnable*, vel etiam a viridi colore *Grunits.*

Sicut vero libenter utramque avem congenerem dici ſino. Sic ridiculum habeo, congenerem Loxiæ pyrrhulam dici, roſtro, colore, cantu & magnitudine differentem! congeneres dixit homo Gothus, & imitatores non deſunt.

(2) *Verſu* 54. Non unus avium ſcriptor media hieme Loxiam dixit parere. Quod fabulam eſſe primus ſcripſit Kleinius, civis & ſenator Gedanenſis, judicio ſuo optimo hac in re uſus.

Digitized by Google

(3) *Verſu* 96. Loxiam nulla certa peregrinationis tempora habere conjectantur Edwardus & illuſtris avium ſcriptor Buffonius. Sed ex hac opinione conſequitur, avi certum nidificando tempus non eſſe, quod omnes habent aliæ volucres. In Suecia certe hiemem nidis non eligit, ubi avem frequentiſſimam per æſtatem eſſe, ſcribit Linnæus.

(4) *Verſu* 121. Pyrrhula (quam Belgicè Fringillam auream, credo ob cantus excellentiam, dicimus), licet per omnem Europam, & ad Viſurgin frequens ſit avis, noſtras oras raris autumnis per tranſit, Loxiis tamen frequentius, anno ſeculi octuageſimo noſtratibus viſis: aucupesque ſeniores dicunt, eas non ante, niſi bis obſervatas fuiſſe, ſua memoria.

(5) *Verſu* 128. Anno ſæculi ſexageſimo primo, e Italia diſcedens, menſeque Novembri per Allobrogum Alpes iter faciens, quod octo circiter eſt dierum, in omnibus diverſoriis præcipuum non modo ex turdis & merulis cibum inveni, ſed & eas aves complurimas vidiſſe me volitantes commemini, licet omnia, tam valles quam juga, nivibus eſſent contecta.

(6) *Verſu* 139. Edwardus Avium deſcriptor Anglus ex Groenlandia accepit Loxiam per piſcatores balænarum; indeque avem credidit ex Europæa ſeptentrione tam in Americam quam in noſtras terras diffugere.

Quam

Digitized by Google

Quam ſententiam amplectitur Buffonius, licet avem ſedentariam & parum numeroſam ſibi videri ſcripſiſſet.

(7) *Verſu* 149. Houtuinus, medicus Amſtelodamenſis, commentarium dedit, Belgice ſcriptum, de Avibus Linnæi, in eoque dicit avem noſtram priſcorum Loxiam eſſe. Priſcis vero ſcriptoribus noſtro tempori relictis non niſi coccothrauſtes, loxiæ congener, uti jam dixi, cognitus fuit.

(8) *Verſu* 175. Melibocus, mons in Cheruſcorum terra poſitus (hodie incolis *der Hartz*) pars veteris Hercyniæ ſilvæ, & ſagis & pinis nunc etiam ubiquaque conſitus, patria videtur avium, quas per autumnum noſtras oras transfugere videmus.

(9) *Verſu* 170. Ad urbem Groningam quotannis fere ex Meliboco veniunt homines, qui aves (pyrrhulas tamen & paſſeres canarinos præcipue) noſtratibus vendunt. Ex iis intellexi, ineunte Martio, nidum loxiæ viſum ab ipſis fuiſſe, tribus vero ovis impletum, ſed matrem recentem plura parituram fuiſſe exiſtimabant. colorem ovorum non adverterant. nidi vero poſitionem dicebant fuiſſe, uti eam deſcripſi, & uti eam ſcripſerat eſſe illuſtriſſimus Buffonius. Coccothrauſten dicit Aldro-

vandus in cavis arborum truncis nidificare. Quod ſi verum eſt, differre & hac conſuetudine congeneres videntur.

(10) *Verſu* 187. Pſittacos inter vivaciſſimas volucres eſſe, noſtratibus ſatis cognitum, ut quorum in domibus avis eſt frequentiſſima, annosque ad centum interdum vivere viſa. Loxias in plurimis Germaniæ regionibus Pſittacos vocari, verſiculis ſuperius dictum eſt.

PI.

Digitized by Google

P I C A.

Omnibus Europæ populis modo nomine Picæ
Nota, libris veterum vix celebratur avis. (1)
Pica loquax veterum ſcrutatur in ilice victum,
Altisque in ſilvis, non ſuper arva volat.
Glandibus hæc gaudet, ſic ut, quum prævidet illas
Defore, congeſto parcat avara cibo.
Glandivora hinc Italis, nobis ſilvatica, multis
Dicitur à raucis, quos dat ab ore, ſonis. (2)
Et color huic alius, rufus cervice, per alas
Cærulus: incanum tergus, & alvus avi eſt.
Noſtra nigra eſt per tergus, & ala & pectore candet,
Caudaque præſignem longa levisque facit.
Hanc ſine fine movet ſaliens, & in alta reflexam
Tergora, ſi falco deſuper urget, habet.
Falco ruit, tergumque ruens fregiſſe videtur,
Cauda ſed infenſæ vim remoratur avis.
Cauda volat per agros, aut unguibus hæret aduncis:
Picaque querceto ſe propiore tegit. (3)

Digitized by Google

Irrequieta, loquax, & non niſi ludere viſa,
Plus ave, quæ damno ſint ſibi cunque, cavet.
Arbore nidificans ſumma, ne vulturis ungues
Horreat, implexis ſentibus ova tegit.
Juncta luto fornix habet oſtia bina, ſedentis
Unde caput, longæ caudaque prodit avis.
Nidus & aëria tam ſummus in arbore pendet,
Raptor ut è terrâ nullus obeſſe queat.
Viſus & haud alti nemoris ſuper arbore nidus.
Undique inacceſſum ſed nemus illud erat.
Verſus agrum ſolet is, ſilvarum in margine, poni,
Longius inſidias ut ſpeculetur avis.
Præcipue inſidias volucrum, quas longius inde
Abſens, & nido fixa venire videt.
Atque ubi ſe è nido viſam à cornice tuetur,
Cornicem nido quæ fugat ira, vide.
Conſtat & hoc : nido turbata prioribus annis,
Poſt binum ſoboli callida ponit opus. (4)
Sæpe ſuper vacuum genetrix ſedet improba nidum,
Vera, latente loco, dum fovet ova pater.

Ova-

Digitized by Google

Ovaque tacta manu non ales ut altera linquit,
Unguibus in tutum ſed vehit ipſa locum.
Nec laqueis deprenſa, pedes aut colla movebit,
Semper & ex illis viva trahetur avis.
Quinque fere,aut quatuor parit ova: immaniter errant,
Qui dant huic volucri dena vel ova novem. (5)
Nec partum repetit, ſaltem noſtratibus oris,
Auſoniæ tribuit quod bonus author avi. (6)
Teſtibus infidis deceptus ſcripſerit: omnem
Picam aliam Æmiliis quod daret eſſe locis. (7)
Noſtra ſuas pia mater aves docet, erudit, adque
Tres ſaltem menſes concomitatur agris.
Non media his curis habet, ut meditetur amores.
Sollicitum ſuperat nec pietate marem.
Junius Auſoniam matrem ſi invenit in ovis,
Disjectos habuit ſæpius illa lares.
Quos non una dies reficit nec & hebdomas una. (8)
Suſpice mirandæ molis & artis opus!
Forſitan & vanis exercita partubus ales,
Ova brevi reddat non ſibi rapta die.

Se.

Digitized by Google

Serius inde parens inſederit Itala nido:
Quæ genus in nullo bis alitura loco eſt.
Omnibus, humana, notum eſt, quod voce loquatur,
Picæ etiam Veteres quod tribuere ſuæ.
Tempore ſed noſtro Veterum crepat avia ſilvis,
Ulla locuturo nec ſubit ore domos. (9)
Non quoniam, ut perhibent peregrè, perrara Bata-
Sitve parum pulcri viſa coloris avis. (vis, (10)
Sed quia naturæ vox eſt inamabilis, & quod
Fetidior mundos lædit odore lares.
Altera munda poteſt, aviumque hilariſſima dici;
Altera cuſtodem noſcit amatque ſuum.
Altera, præcipue cavea ſi ſæpius exit,
Mille jocis totam ſcit recreare domum.
Sive caloris amans pennas ante explicat ignem,
Et capite inflexo, quam juvat ille, docet.
Sive canem notum roſtro cautiſſima vexat,
Seu nova miratur, quæ nova cunque videt.
Tamque beata domi, quam libera pica videtur,
'E nemore ad dominum viſa redire ſuum.

Nec

Digitized by Google

Nec modo voce homines, ſed oves imitatur & hædos,
Quosque ſonos audit ſæpius, ore refert.
Corvus & huic docili concedunt Pſittacus ore,
Sed melius Pica, quod didicere, tenent.
Docta ſit in primis, tamen obliviſcitur, annis,
Si non aſſiduo fiat ab ore memor.
Sed, puto, talis avis nunc gentibus agnita latè,
Quod vix ſit priſcis obvia facta, ſtupes.
Plinius aſſignat, quo primum tempore Pica
Circa urbem & Latio cognita rure fuit. (11)
Appenninicolam putat ille, & montibus illis
Delapſam, ut Latio rara maneret agro.
Notior his terris hodie, & fortaſſe Pelasgis,
Tempore Ariſtotelis non ubi venit avis.
Primum ubi par venit, vicinis venit ab oris,
Quod brevis ad longam non valet ala viam.
Progeniesque fuit: nova quæ ſibi condere regna
Gaudet, & a cunis millia pauca fugit.
Servaturque locus, primo quæſitus amori.
Dum modo pace placet, tempus in omne placet.

Cir-

Digitized by Google

Circa umbras villæ, non triſtibus avia ſilvis,
Montibus & ſolis obvia non ſit agris.
Quodque avis eſt minimè montana, ſit unica forte
Cauſa, quod Æmathiis non fuit ante jugis.
Theſſala Teutonica nunc voce per arva vocatur,
Credita Teutonici quod fuit ales agri. (12)
Fertur amare greges Gallorum pica per oras. (13)
Noſtra ſui generis vitat & odit aves.
Conjuge cumque una colludere prole videtur,
Cum quibus, ut dixi, ludit uterque diu.
Conjugii memores ſunt illi, omnemque per annum
Perpetui comites culta per arva volant.
Menſe nec hiberno rus, quod coluêre, relinquunt.
Villa ſibi notas uſque moratur aves.
Dicitur in ſummo tamen ales frigore, paucos,
Abſtruſus ſilvis, delituiſſe dies.
Abſtruſus ſilvis, vel quoviscunque locorum.
Unum hoc ſcitur: agris per grave frigus abeſt.
Proximus eſt mihi rure ſenex, acerrimus auceps,
Spectandisque avibus qui ſine fine vacat.

Is

Is genus alituum, circa ſua prædia natum,
Tanquam vicinos noſcit amatque ſuos.
Sæpe mihi dicit, meus hic ligurinus & ille,
Vireoque eſt nemoris filius iſte tui.
Frigillaſque tui querceti novimus: horis
Cottidie certis ad ſata noſtra volant.
Nullam ex his capimus. Mea gaudia, ſuntque tuorum,
Ars mea longinquis non niſi ſævit agris.
Utque genus parvum, ſic pluma noſcit ab omni,
Diſtinguit melius quas grave corpus, aves.
Oſtendit Picas, quas jam ter quinque per annos
Vidit in arboribus nidificare ſuis.
Non, ait, illuxit, quin cernere detur utramque,
Aſpera per nimium ſit niſi bruma gelu.
Tunc ſilvis, inquit, latitant majoribus; utque
Æſtimet hoc, ſilvas non procul eſſe videt.
Solivagam nec credit avem, niſi conjuge rapto,
Perque hiemes rapto conjuge, fata ſequi.
Mitigat autumnus jacturam & lætior æſtas,
Forſan & à nidis obvius alter amor.

Quatenus ante alios ſit deditus ales amori,
Si liquet: ex Græca voce liquere nequit.
Nam ſi ignotus erat Græcis, cur nomen ab illis
Scriptores! teneri nomen amoris habet? (14)
Sed quoniam affectus patitur, nec lenibus ardet,
Dixeris, & veneris non minus igne calet.
Credo equidem, petulanſque avis & laſciva videtur,
Mille modis, quam ſit ver ſibi dulce, docet.
Unà nemus ſtrepitans cum conjuge, & una patentem
Implet agrum, totum credis adeſſe gregem.
Cogit apud Gallos volucrem grave frigus amare,
Februus hanc nidos ſi fabricare videt.
Id fieri ad Beſedum Zinannus vidit Aprili. (15)
Tardius & noſtris luxuriatur agris.
Martius hic audit ſtrepitantem, & condere nidos
Aprilis ſeros non ſolet ante dies.
Tempore quo toto petulans, ſtudioſaque furti eſt,
Quæque placent uſu, quæque nitore, rapit.
Sæpe domos ac templa ſubit, remque auribus aptam
De volucris furto Grunonis ora refert.

Ju-

Digitized by Google

Judicis ampla domus, totis adaperta feneſtris,
Stabat agro: gemmis cella referta patet.
Involat, ac natum per litora rubra monile,
Expoſitum thecis, improba tollit avis.
Quæritur in famulos: poenæque ancilla paratur.
Ante oculos miſeræ jamque cataſta fuit;
Cum ſuper injuſta, virgaſque parante cataſta
Vidit cum gemma ludere prætor avem.
Non tamen à furtis, ſunt qualia dicta, meretur
Proſcribi, patrio ſæpius ut ſit agro. (16)
Litora naviſragis non hoſpita quando videmus,
Legibus innocuas patria terret aves.
Quod fieri cultas qui cernis utrumque per oras,
De culto populo quis tibi ſenſus erit?
Non mumeroſa avis eſt; phyſicamque ſcientis agello
Pro vix cenſendo dat bona multa malo.
Furtaque gemmarum ſi latis legibus arces,
Præveniet damnum clauſa feneſtra tuum.
Deinde per æſtatem tantummodo furta timentur.
Algida laſcivis luſibus obſtat hiems.

Verbaque noſtra domi conari audita volucris,
Frigore dediſcit, quos dedit ore, ſonos.
Quæris, avi quæ vita datur? diuturna videtur
Corvinum, partu nec nimis aucta, genus.
Servat enim natura ferè per longius ævum,
Quas ſibi per ſobolem non nimis auget aves.
Nataque vere novo tam tarde increſcit, ut anno
Extendatur avi non niſi cauda novo.
Anglus homo cicuri vicenos præſtitit annos,
Fecerat incanum cui data vita caput. (17)
Sed non ex cicuri, quam ſit longæva, videtur,
Præcanamque fames & cibus ipſe facit.
Ævum avibus cunctis cibus & non libera vita
Carpit; & ante alias, pro dape ſi qua caro eſt.
Nam cibus, ut nimius, datur unicus ille ſubinde;
Tantum ad delitias quem fera Pica capit.
Paſcitur inſectis, raniſque & muribus agri,
Paſcitur & pomis arbor agerque tuis. (18)
Ilicis & glandes, & amat purgamina villæ,
Ovaque nidorum pignoraque ipſa rapit.

Digitized by Google

Vidimus & rapido cancrum quod tolleret ore
Ex his, Amiſeus quos mare verſus habet.
Sed dum per ramos correptus ab alite fertur,
Complicuit collum litoris hoſpes avi.
Illa pede obluctans collumque evellere chelis
Niſa diu, ramis exanimata cadit.
Francigenis cibus eſt. Venetuſque ad fercula feſta
Servat avem, menſæ fercula dira meæ. (19)

Digitized by Google

NOTÆ.

(1) *Verſu* 2. Picam caudatam Ariſtoteli, Græcisque ſcriptoribus huic tempori relictis incognitam fuiſſe, & ab unico Latinorum veterum Plinio indicatam fuiſſe, obſervarunt plurimi. Summa nihilominus inconſiderantia caudatæ attribuunt, quidquid de glandaria pica apud veteres ſcriptum invenitur. Pertinetque incogitantia non modo ad primos recentiorum, ſed ad extremos etiam, noſtræque ætatis ſcriptores. Aldrovandus, qui circa finem ſcripſit ſæculi XVI, primus indicavit veteres legentibus differentiam adnotandam eſſe, & tamen fatali ſocordia illam differentiam ipſe mox confundit. Aldrovandi indicia ſpreta, aut non accepta fuiſſe non mirarer. Extremis annis ſuis ſcripſerat, ob ſeniumque ut ſocors, aut ut nimis etiam prolixus potuit contemni, ejuſque immenſa volumina, licet bis edita, ad omnes nequaquam pervenere. Sed viſum creditumque indicem feciſſe quidem, ut tanquam bona repetantur indicia, mox tamen etiam a repetentibus ſpernantur, eſt hoc profecto quod, advertendum in ſcriptoribus, magni nominis viris. Sed advertendum ſimul, eoſdem polygraphos eſſe, tempuſque ad revidenda ſcripta non habere. Quæ pulcris interim typis edita, pulcrisque figuris additis ſuperba, poſteris teſtantur, nihil certi ab æſtimatiſſimis ſcriptis diſci poſſe, oculosque avertunt ab opuſculis minore faſtu veritatem docentibus.

(2) *Verſu* 8. Italis dicitur hodie *Gazza chiandaja*, Noſttratibus *Houtaakſter*, id eſt Pica ſilveſtris, Germanis *Holt Schreyer*. Et ſunt inter noſtrates, qui illam picam quiritantem dicunt, *Krytaakſter*. Ovidius

dius ſibi viſas *nemorum convitia picas* vocavit, hemiſtichio indicans, ad quiritantes ſe reſpexiſſe; quod & confirmat, caudatas ipſius tempore nondum Romanis agnitas fuiſſe, & rectè Plinium ſcripſiſſe ſuo primum ævo obſervatas eſſe.

(3) *Verſu* 13. Nihil magis picam diſtinguit, quam quod ſaliens, caudamque motans graditur. Surinamenſibus noſtris quædam avis eſt, per inferius dorſum totamque caudam fulva, perque alas lætiſſimis coloribus variegata. Quam, ſimulac coloni noſtri ſuperiore ſæculo ad oram iſtam advenerant, picam dixere, quod ſaliens & caudam motans per agros gradi videbatur. Avemque verè de picarum genere eſſe, oſtendit ex variis ipſius moribus Philippus Ferminius, qui aves Surinamenſes deſcripſit. Linnæus ex pennis caudæ, dimenſisque & denumeratis, alio picam nomine induit, & ad neſcio quod genus tranſtulit. Quod tamen genus picæ abjudicavit Briſſonius. Quæro autem ego, an non melius phyſicorum iſti anteſignani aves cognoſcere volentibus, conſuluiſſent, ſi picam aut ſalientibus, aut caudam motantibus avibus annumeraſſent? ex quibus diſtinctis, facileque mente retinendis notis, avis coloribus diverſiſſima, ſed tamen vere pica, ſtatim agnita fuit rudi populo, ut certe nauticum genus, fuit, primum in Americam a noſtratibus tranſmiſſum. Nihil dicò de jure, quod a ſignis tam incertis ſibi arrogavit Linnæus avem novo nomine deſignandi.

(4) *Verſu* 18. Tametſi ex prælio, ut a me viſum eſt, relato, invidiam vides, picis & falconibus mutuo adverſus ſe inſitam; operæ pretium erit commemorare alteram pugnam, anno MDXXXIX. in Germania picam inter & duos falcones pugnatam, elegisque Jacobi Micylli poetæ ſatis celebris decantatam: quam & pugnam ipſe ille cum multis ſpectaverat. Aucupes enim principis Heſſi haud procul Francofurto in pa-

Digitized by Google

patentiſſimo ad Moenum campo falcones quamplurimos ſolverant, venandi peritiſſimos. Qui dum longo per cælum euntes gyro campum undequaque circumſpicerent, in prato paſcens pica videri ſe a falconibus advertit. Tardè volanti in ſilvas procul diſſitas effugium non erat, quin hoſtibus ad dejiciendum ſe promptiſſimis tergum præbuiſſet. Omni igitur quâ potuit, celeritate in altum ſe immiſit, ut falconibus adverſum ſe ituris in æqua altitudine minor & obliquus impetus, motuque ſui corporis, & ſolis radiis eſſet incertior. Ab omnibus falconibus licet pica ſe extollens in cælum, & clangore informi periculum ſuum teſtata advertebatur, duo proximiores adverſus inimicam tantum ſe expediunt, tantoque in illam deferuntur impetu, ut cum picam contingerent, pectora ipſæ ſua utrimque colliſerint, fractiſque animæ nervis è cælo deciderint, picam tamen detentam unguibus ſecum ferentes: quæ morientium roſtro & unguibus ſe extricaverat, volatumque capiebat, cum canis accurentis abſumpta dentibus, decerperetur. Poſtquam hæc ſcripſeram, video ex Micylli elegia, nonaginta ſex verſuum, viginti duos excipi poſſe, qui rem melius ante oculos ponunt, quam a me narrata eſt. Ecce igitur illos

Jamque ſolutæ ibant, dempto velamine, in altum,
  Et ſolito in gyrum more feruntur aves.
Ecce levis campi ſublimis ab æquore pica
  Fertur, & informes obſtrepit ore ſonos.
Hanc duo falcones, dextra lævaque volantes,
  Ut fuit in prædam miſſus uterque, vident.
Nec mora: ventoſas acuunt ſtridoribus alas,
  Et volucrem rapidis unguibus ambo petunt.
Fit ſonitus, crebriſque gemit clangoribus æther,
  Et percuſſa leves concitat aura notos.

Ille

Digitized by Google

Illi autem nimio dum cædis amore feruntur,
Et gravis exſtimulat pectus utrique furor;
Dumque timent ambo, ne prædam vindicet alter,
Aut fugiens ungues evolet illa ſuos:
Præcipiti inter ſe collidunt corpora motu,
Et ſecat alterius pectus uterque ſuo.
Mox unde è cælo proni, languentibus alis,
Inter quos medios tertia pica, cadunt.
Sed dum viva ſtrepit, ſeque unguibus explicat uncis,
Jamque adeo incolumem ſe levis ales habet:
Accurrêre canes, unoque ex ungue retentam
Morſibus arripiunt dilaniantque ſuis.

Cum Micylli ſilvarum libris quatuor, ſemel tantum editis, nihil pene librorum ſit rarius; altera viſa eſt cauſa, cur hos verſus apponi poſſe judicaverim, tertio libro excerptos, relictis ſuperfluis, qui falcones Achilli & Patroclo comparant, & ſuperſtitioſa continent vaticinia, ex diſcordia tum Germaniæ principes agitante; quæ quidem diſcordia novem annos poſt ſtragem illis principibus fecit, ſed picæ & falconum horum ſtragi nequaquam perſimilem.

(5) *Verſu* 36. Picas ſeniores ob nidos ante ſpoliatos ad fallendas hominum inſidias, binos poſt nidos conſtruere obſervaverat Albertus Magnus, ſæculi decimi tertii ſcriptor. Et plus ſemel vidi fidelem egregii obſervatoris relationem eſſe. Nec non veriſſimum eſt, quod & idem ille ſcripſit, picarum ſuperius fornicatos nidos duo oſtia habere, alterumque intrantibus, alterum exeuntibus ſervire.

(6) *Verſu* 44. Aldrovandus omnia fere ſua ex aliena fide compilans ova ſeptem octo & novem picas parere dixerat: ſed cum poſt in ſu-

burbano ſuo nidum hujus avis ſingularem valde inveniſſet, quinque ovis impletum, ſubjungit deſcriptioni ſuæ appendicem, inque illa recte ſcribit Albertum hunc numerum avium illarum ovis dediſſe. Nihil vero de novem illis loquitur, quæ picas parere caudatas & glandarias ſcripſerat. Septem etiam & octo picis ova dat Guenaldus.

(7) *Verſu* 46. Semel anno picas genus educere ſaltem apud Noſtrates dixi, non quod eas id alibi frequentius facere credam; ſed ut Joſepho Zinanno obſervatori optimo lenius videar contradicere, qui id anno bis picas facere ſcripſit. Semel etiam in Galliis pariut teſte Guenaldo.

(8) *Verſu* 48. Vixit & obſervavit Zinannus Ravennæ: quam Italiæ urbem in Æmilia regione poſitam eſſe, ſatis conſtat. Opus vero ipſius, magna cum cura ſcriptum, editum eſt Venetiis anno ſæculi hujus trigeſimo ſeptimo.

(9) *Verſu* 55. Intra diei ſpatium picas nidum pro deſtructo reficere ſolere, ſcripſit Guenaldus. Quod a dexterrimo homine, vel ſi collata haberet omnia ad opificium neceſſaria, multo minus fieri poſſe crediderim a binis avibus: niſi ſi nidum fecerint, qualis apud Aldrovandum libro XII pagina 690 depictus eſt. Nidus is in vetere ſuburbani ipſius malo ita erat a natura tectus & factus, ut mollicella tantum materia opus eſſet ad ſtratum ovis emolliendum aſportanda. Sed nonnullis additis mænibus, ultra neceſſitatem nidum ſuum exornaverant. Picas, igitur & luxui ſtudere, aut potius nidos earum id varios interdum eſſe deſignat. Et quod pro diverſo tempore, proque natura electæ ſedis, plus minus temporis ad ſtructuram habeant, compertum eſt mihi per certiſſimos teſtes. Nozemannus noſter, qui aves Batavas tanta cum cura & fide ſcriptas dedit, nidum uno oſtiolo inſtructum, alterumque vidit intra ſextum diem a picis finitum. Ego in haud alta nemoris mei arbore avem nido inſidentem, roſtrumque & caudæ extremum nidi oſtiolis

ex-

Digitized by Google

exſerentem, non ſemel vidi. Alterumque nidum, quatuordecim dierum ſpatio confectum eſſe, per teſtes ſcio fide digniſſimos. Ramorum natura, quibus illigatur nidus, poteſt differentiam inter ſtructuræ difficultatem & tempus, ut differentiam feciſſe inter oſtiorum numerum. Poteſt obſtitiſſe truncus aut ramus, ne nidus a Nozemanno ad Roteram viſus, duo habuerit oſtiola. Nidusque in apice arboris poſitus, ramisque tenuibus illigatus, poteſt alia firmamenta, aliamque compaginem, operique tempus deſiderare longius. Cumque duos interdum picæ nidos faciant, ut ſuperius vidimus, poteſt nidus ad impoſturam conſtructus longe alius, quam neceſſarius, factus eſſe videri. Nidus ante triennium pullis ſpoliatus, indeque poſt a parentibus comtemptus, deciſa nunc bætula, in quâ poſitus fuerat, ante oculos eſt ſcribenti. Licet dejecta fornice per ventos, aut per eum, qui pullos extraxit, tanta etiamnum eſt firmitate, ut poſt alterum triennium inferior nidi pars avibus parituris utilis videatur. Habet tantum inter feſtucas infernas luti, ut inverſum inde pileum impleres. Lutum illud baſis eſt nidi. Nonnihil luti immixtum eſt lateribus orbem oblongum nidi ſepientibus, Luto interiori, quà baſis eſt nidi, inſerta video quercina folia. Iisque foliis ſuperpoſita ſunt ſiferis & paſtinacæ ſemina ad duorum pollicum craſſitudinem. Quæ ſeminum mollium & latorum copia, nonnulla lana ſetisque porcinis obtecta, nido pro culcita fuit. Copia quidem iſta avibus nidificantibus haberi poteſt in vicinia, cum paſtinacæ & ſiferes eodem tempore ferantur. Sed ſtatim ab olitoribus obvoluta terris, quanto temporis ſpatio colligantur? Credam igitur facile notæ probitatis teſtibus, qui nullum ovis utilem nidum intra decimum diem confectum eſſe contendunt. Et ſunt, qui multo longius tempus ſtructuræ impenſum, impenſumque eſſe viderunt a picis numero quaternis. Duas earum dicunt eſſe juniores; a parentibus quas adjuvari, inque operis perfectione erudiri exiſtimant. Idque confieri qui viderunt, Martio dicunt menſe viſum eſſe; antequam parentes ad proprium conſtruendum aut reficiendum nidum vocantur.

(9)

Digitized by Google

(9) *Verſu* 64. Non modo ego nullam glandariam picam in caveis loqui apud noſtrates, ſed neque apud Gallos, Italos, eoſque Germanos vidi, quos mihi adire contigit. Quam pulcram in ſilvis, tam ſordidam in caveis eſſe ſcribit Salengrius, ornithologus Aurelianenſis; qui forte eam cognoſcendi cauſa avem in cavea habuerit. Vide ipſius Avium Hiſtoriam Gallicè ſcriptam. Pagina 96.

(10) *Verſu* 65. Nullas apud Batavos glandarias picas eſſe, ſcripſit Aldrovandus. Quod ejus credo tempore verum fuiſſe. Habuit ſecum Bononiæ eruditum Batavum, Delphis natum, qui eâ illum inſtruxit ſcientia, ut de nullis frequentius & fidelius, quam de noſtratum avibus loquatur. Luſcinias etiam terris noſtratibus abeſſe annotavit: quod & in ſua Batavia commemorat H. Junius, qui triginta ad minimum ſcripſit annos ante Aldrovandum. Idque teſtatur idem pervetus lapis, perveteri domo inſertus Roterodami, qui pro inſigni iſtius mercatoriæ domus fuit, tribusque ranis inſculptus eſt; quas ad riſum faciendum luſcinias Batavas eſſe, dicit ſubſcriptio. Nunc vero luſcinias, glandarias picas, aliasque ſilvaticas aves ad Batavos commigraſſe non eſt mirum, tanta nunc nemorum gaudentes amoenitate & varietate, ut cum maximè ſilveſtribus terris contendant, nemorumque varietate plurimas ſuperent.

(11) *Verſu* 88. Operæ pretium erit, verba Plinii adducere. Vetuſtiſſima picæ ſunt mentio „ Nuper & adhuc tamem rara ad urbem „ verſus cerni cæpere Picarum genera, quæ longa inſignes cauda, va- „ riæ appellantur." Quodque jam Plinio pernotæ erant, ſignificavit verbis ſequentibus. „ Proprium his calveſcere omnibus annis, cum ſe- „ rantur rapa." Hiſt. Nat. lib. X. cap. XXIX.

(12) *Verſu* 104. Germanis dicitur pica *Agelaſter* & per ſyncopen *Algaſter:* Græcis hodiernis αιγαστρα. Vocabula propemodum uniſona, &

& certè eadem dicenda pro diverſitate tam diverſarum gentium. Videtur pica noſtra maxime in Theſſalia: quæ terra, uti notum, omni reliqua Græcia minus eſt montana. An & ibi antiquitus fuerit, Ariſtoteli incognita, an recens avis adventus ſit & nomen, non eſt, quod dijudico. Poteſt Ariſtoteli, licet ornithologo, Theſſala avis incognita fuiſſe: ſicut ornithologo noſtrati Martinetto incognitum fuit, picas eſſe apud vicinos ſibi Batavos. Actis Eruditorum Harlemenſium haud ita pridem inſeruit quæſtionem illam; quare in Batavis non videatur pica? Quod doctum virum propoſuiſſe quidem eſt mirum, ſed magis admiror quæſtionem inſertam eſſe actis. Nunquid imponent illa acta poſteris, ad quos non pervenerit ſumptuoſum opus Nozemanni, aut quodvis aliud Batavis avibus dicatum? Plura ſcripta ornithologica Græcorum periere, quam hactenus edita ſunt de avibus in Batavia. Unum Ariſtotelem habemus ſuperſtitem, qui in Macedonia, remotior a Theſſalis, quam a Batavis ſcripſit Martinettus, in Gelria vivens. Dicam alio loco, quare multa Græca avium vocabula ex Germanica lingua videantur dirivata. Magis enim dicetur credibile, avem apud Germanos frequentiſſimam præſtitiſſe nomen Græcis, quam perraram in Græcia Ægaſtram vocabulum ſuum propagaſſe ad extremos Germaniæ populos; cum noſtratium *Agelakſter*, Germanico vocabulo perſimile, inter ſynonima ſit, quibus apud noſtrates pica indicatur.

(13) *Verſu* 105. Dicit picas gregatim per hiemem volare Dominus Guenaldus (de Montbeillard) in continuatione operis Buffoniani. In tantum Gallicas a noſtratibus differre, creditu fuiſſet difficile, niſi, qui novem hiemes in Gallia traduxi, ſatis meminiſſem, me picas ſæpe conjuges per agros vidiſſe, nuſquam vero gregatim volitantes. Deceptum igitur illuſtriſſimum virum, quem avium ſtudioſiſſimum eſſe ſcio, iis exiguis ſociis opinor, quæ Martio menſe, quinque ſex aut ſeptem numero, junctæ volant: cum inter eas, juniores pleraſque, de conjuge ha-

habenda iis eſt. Id idem & illis forte evenerit in ſumma cibi egeſtate, cum hiems fuerit, præter ſolitum ſæva aut longa, agrique diu ſub alta nive delituerint. Cujuſmodi tempus aves quodammodo natura ſua exuit, inſolitoſque iis nec ab ingenio natos mores imponit. Vidimus hac duriſſima hieme, jam fini proxima, in noſtra habitatiſſima terra omnia pene accipitrum genera, nunquam prius incolis viſa, eaque tam proxime domos accedentia, arboribusque, quæ tuguriis ruſticanis addi ſolent, tam diu inſidentia, ut ſpectatoribus ad conveniendum tempus fuerit, multique frigoris vi & mora jam conterrita mente, ab aſpecto hujus generis prodigio flentes domum reverterentur, præſagientes neſcio quas malas naturæ converſiones. Cycnum ſuum ab accipitre maximi generis delacerari vidit menſe Januario amicus quidam, meusque per æſtatem vicinus. Alter agricola, agrique mei ididem vicinus, cum menſe Februario multa jam nocte intenſiſſimo frigore domum ſuam circumiret, buteonem muro adſtantem in terra vidit, quem pro gallo Rhodio (nos Anglicanum dicimus) manibus feliciter munitis, deprehendit. Avem non fame, ſed frigoris vi ad inſolitam ſedem perveniſſe, ex eo conſtat, quod per octo poſt dies nullo ſumpto cibo vixit; licet carnes objectæ parvæque alites fuiſſent. Mortua, circa domum projecta, jamque (impetita cornicibus) erat ſemilacera, cum nono Martii ſereno admodum die ad agtum meum devecto aſportata mihi, ex ſatis magnis reliquiis buteo videbatur. Quod ſi quis buteoni ejusmodi mores, tantamque cum caſis villaticis neceſſitudinem ut ſolennia adſcriberet, erraret, ut qui picis gregariam naturam daret, aut urbibus diceret frequentiſſimis gaudere: quod hac hieme eas audere, & in noſtræ urbis hortulis vidimus. Aucupi vicino meo quod de picis ſcripturus eſſem, propoſui. Interrogatuſque, an unquam congregatas vidiſet, reſpondit, quæ ſuperius retuli, ididemque: ſe picam triduo ante ab alteris picis circa ſilvam meam interfici vidiſſe, quam, (loci cædis haud immemor) inventam ex minore cauda & pedum colore juniorem eſſe oſtendebat.

(14) *Verſu* 142. Picarum luxuriam ex vetere Græco vocabulo, tanquam ideo ipſis indito, apparere non unus ſcripſit ornithologus. Sed ferri non poteſt, id eos dicere, qui deſcriptionem picæ incipiunt, admonendo, avem veteribus Græcis incognitam fuiſſe.

(15) *Verſu* 151. Beſedus amnis ad Ravennæ urbis dextrum latus defluit, ſicuti ad ſiniſtrum Vitis. Uterque amnis Plinii commemoratione eſt nobilis. Sed quod Beſedum haud uno amoeniſſimo nemore, picarum nidis apto, conſitum vidi, hunc potius, quam Vitem credidi nominandum eſſe.

(16) *Verſu* 168. Hotunus enumerat varia, & ſæpius iterata edicta, quibus in noſtris provinciis ab annis centum & triginta infeſtatæ ſunt picæ. Nozemannus longus eſt in commemorandis damnis, quæ ab illis, tam hortis quam agris inferuntur. Modos capiendi, ferro & venenis interficiendi docent ambo, ut ſi nulla animantium nobis eſſent perniciosiora! Quod viros phyſicaram rerum peritiſſimos, præcipuè Nozemannum ſcripſiſſe admiror, qui me deſcriptione ſturni occupatum admonuit, avem ab injuriis edictorum per verſus meos vindicare ut conarer. Atqui in ea ſemper opinione fui, aves pleraſque beneficentiſſimas, præcipuè tamen noſtratibus eſſe: quibus in paludoſa terra poſitis, ſi qua calidior eſt æſtas, peſtilens fit cælum ab inſectis volucribus: quibuſque ranæ, bufones, limaces ſoricesque peringrata ſunt & incommoda animantia. Hæc omnia picis in cibum venire ipſi illi docti viri referunt. Quantaque a minoribus muſcivoris & vermivoribus avibus bona nobis præſtantur, ubi verſiculis meis occaſio ſit, oſtendam. Sed longum res propriumque mereretur commentarium. Illud addidiſſe ſufficiat, haud facile legiſlatores natura ſapientiores eſſe.

Digitized by Google

(17) *Verſu* 186. Is homo Anglus, qui Picam domi ad viginti annos nutriverat, jamque ut cano capite eſſe inciperet, nominatur in Ornithologia Eleazaris Albini. Fuitque vir phyſices peritus, W. Derhamus nomine. Signum vero hujus peritiæ non eſt, quod a canitie judicavit avem ad finem perveniſſe ætatis, a natura præſcriptæ. Cogitare enim debuiſſet, quam in animantibus ut in homine, dubium ætatis ſignum ſit canities, quamque difficulter victum domeſticum carnivoræ ferant volucres, quamque eum victum, ex carnibus ſæpe ſolis appoſitum, prorſus non ferant ex mixtis cibis ſuſtentandæ.

(18) *Verſu* 196. Rapas poma agreſtia vocavit Plinius, quibus quantumvis Picæ veſcantur, cupidius veſcuntur illis agreſtibus pomis ab America in noſtros agros delatis, & tanta copia feri ſolitis.

(19) *Verſu* 206. Picæ in Gallia ab infima plebe, Venetiis vero comeduntur à cujuſcunque ordinis hominibus: aveſque in Venetæ urbis macellis in cibum venales vidi, nullibi terrarum in victum humanum vendibiles, veluti ardeas, mergos, aliaſque marinas volucres. Cujus rei cognitio cum me per tres menſes, quos Venetiis tranſegi, abſtinentiſſimum faceret ab omni volatili carne, tam admirandus videbar Venetis, quam noſtratibus videretur, qui picis pro cibo uteretur. Itali reliqui, licet Venetis minus pamphagi, complurimas etiam in cibum ſumunt volucres, quæ multis gentibus in menſa viderentur abominabiles. Eæ volucres cognoſcantur apud Aldrovandum, qui miratur cuculum Germanis pro cibo abominabili eſſe, Italis inter menſarum delitias haberi ſolitum. Vide de Cuculo ejus librum V pagina 425.

HI-

Digitized by Google

HIRUNDO.

Pene omni populo quæ nuncia veris hirundo;
Pene omnes penna præpete vincit aves.
Nuncia grata ferens, haud limina noſtra veretur,
Quæ ſua nidificat, ſeu modulatur, habet.
Jus vetus hoſpitii, quod in omnibus obtinet oris,
Non bene munditiis dedita villa negat.
Parcendum eſt volucri, circum tua tecta canenti; (1)
Seque, genuſque ſuas, quæ tibi credit, opes.
Nulla avium de rure ſibi minus arrogat omni.
Omni rure nihil, cui nocet illa, feris.
Sed, quæ vix videas, inſecta volucria, muſcæ,
Tipulaque & culices, ſunt cibus unus avi.
Peſtiferum genus hæc animantia: quæque paludis
Accola plus aliis credat obeſſe feris. (2)
Vitæ igitur villæque tuæ muſcaria Progne,
Conſulit, & tutam nidificare vetas!
Tempora ſi obſervas, pluviam tempuſque ſerenum,
Ætheris hanc variis cerne volare viis.

Digitized by Google

Cum volat alta, fides conſtabit ſolibus: imbres
Exſpectat meſſor, ſi vaga radit humum.
Quippe ubi ſunt muſcæ, volucris ſe oſtendit; & illæ
Altius, ut cælum eſt, inferiusque volant.
Paſcitur una avium, dum perſecat aera pennis,
Paſtaque carne, uncis unguibus una caret.
Flectit & in medio curſu propè ſola volatum,
Obviaque accipitri ſæpe propinqua volat.
Corporis exigui, non totum eſt uncia corpus,
Caudaque & pennis plurima conſtat avis.
Cauda bifurca, licet cælo, ſpectatur, in alto,
Lataque non longam, quæ facit ala, viam.
Nam non ſæpe procul patria, & vix avolat ulla.
Res ſemel eſt doctis illa videnda viris.
Conditur ante hiemem, ſemeſtri obnoxia ſomno,
Conditur, & variis condita viſa locis.
Eſt, ubi ſe ſcopulis per frigora ſopit, & antris,
Eſt, ubi ſtructuris ruderibuſque latet.
Straminis alta ſtrues, vicioſæque arboris alvus,
Condit & urendi ceſpitis agger avem. (3)

Ami-

Digitized by Google

Amiſei ripis, jacet altis ſubter arenis,
Quas per radices ſilva cavare ſolet.
Connexas quandoque vides, roſtra indita roſtris.
Eſt quoque ſola, ſuo quæ jacet orba viro.
Res eſt mira, latet gelidis quandoque ſub undis,
Ut propè cognatam piſcibus eſſe putes.
Id facere Arctoas bis centum ſcripſit ab annis,
Extractas & aquis vidit Olaus aves. (4)
Vidit & Upſaliæ quod epiſcopus, Arcticus orbis
Vidit. Aquis tectas protrahit omnis hiems.
Protrahitur puteis, ubi Viſtula Sarmatis errat,
Ciſternâque, foris oſtia cujus erant.
Surgentéſque lacu Norvegia tempore verno
Mirata eſt totis excita nuper agris.
Pars quaſi mentis inops, ſopitaque litore ſtabat,
Captabatque auras, piſcis ut exul aquis.
Scabere pars alas, pars altera pene refecta,
Roſtello ſocios viſa juvare ſenes.
Tandem ubi multa dies recreaverat omnibus alas,
Omnis in æthereas ſparſa caterva vias. (5)

Et niſi ſic fieret, latebris niſi verna propinquis,
Primo ſole frequens unde veniret avis?
Turdorum adventus, cornicum, anatumque notatur.
Adveniunt toti prætereuntque greges. (6)
Una vel in cælo rediens volat altera Progne.
Adveniunt nulli prætereuntque greges.
Tranſitus eſt avium res omnibus agnita terris.
Sed per quas veniens carpit hirundo viam?
Credere ſi fas eſt, Afros quod agatur ad illos,
Quos ſibi vicinos torrida zona videt;
Ecquibus in terris non aſpiceretur? & unde
Pabula continuum ſuppeditaret iter? (7)
Per mare per terras ſeptem eſt via longa dierum.
Terra igitur muſcas & mare ſemper habet?
Quantaque ſint præſto muſcarum examina! nuſquam
Copia deficiens juſta moretur iter.
Crede mihi, ſapiens incommoda tanta volucris
Providet, & patrio præferat orbe moram.
Nec latuit Veteres res hoc dubitabilis ævo. (8)
Tam nihil a proavum lumine lucis habet!

Edor-

Digitized by Google

Edormire apodes hiemes, patriamque tenere,
Ad Mauros reliquum qui genus ire jubent.
Sunt apodes genus illud, acuta voce, Groningæ
Quod circum turres altaque templa vides.
Quodque quiritantes hoc dicimus orbe: ſed omnes
Funere ſemeſtri ſopit & abdit hiems.
Omnibus una datur natura volatus & eſca,
Omnes certa abigit, certa refertque dies.
Cur peregrinatrix pars eſſet, & altera deſes?
Cur mora grata, quibus longior ala, foret? (9)
Utraque per varias latebris hiemalibus oras,
Nec ſemel, aut uno viſa decembre, jacet.
Frigoribus mediis latebris avulſa, locoque
Fota, reviviſcit, ſi qua tepente fuit.
Nec moritur, quæ clauſa volet, gelidumque per annum
Inveniat ſolitos per loca clauſa cibos.
Quà vetus Hercinia Melibocus ab ilice frondet,
Et longas multo calfacit igne caſas, (10)
Vivere fertur avis per frigus adempta cavernis,
Perque novi pullos veris habere dies.

Scilicet immenſis crebreſcit aranea tectis
Nec cibus a muſcis, quas fovet ignis, abeſt.
Inde etiam totus volucrem videt annus in oris,
Quas Pharius tepido flumine Nilus alit. (11)
Præter enim frigus, nullaſque per aëra muſcas,
Non eſt quæ volucrem cauſa latere jubet.
Sed gelidis progne non altera tecta ſub undis,
Quam quæ Mænalio nata ſub axe, jacet. (12)
Inter aquas, cælumque madeſcens imbre perenni
Differt, ſed gelido differat orbe minus.
Tam, niſi ſubter aqua, volucris foret Arctica nullis
Tuta locis. Terras alta perurit hiems.
Tuta jacet terris noſtratibus, arboribusque
Tuta cavis, calido ſilva ubi poſta loco.
Sed placido quacunque Jovi vicinior orbis,
Structuras, ſcopulos, & cava quæque ſubit.
Tam ſibi diſſimiles faciunt dubitare latebræ,
Credereque, ante hiemes quod procul ales eat.
Quod quis enim, patriæ terras ſcrutatus & undas,
Non reperit, vanam credit habere fidem.

Nec

Nec quoque percipias, ut ſol calefactet in undis, (13)
Suppoſitamque alto ceſpite tangat avem.
An quia grande animal, proprioque animata calore,
Sentit ubi ſoles, intima ſpirat humus?
Plurimus eſt terris calor interioribus, unde
Vivat, & è ſomno forte reſurgat avis.
Saltem animam recipit, docet experientia: deque
Dictis ne dubitem, pars mihi viſa fuit.
Stat vetus ad noſtram quercus denſiſſima villam,
Cujus obit partem pene cacumen agri.
Ante meos ortos, natalesque ante parentum,
Arbor erat, proavûm conſita virga manu.
Læta licet vireat, ramoque vigeſcat in omni,
Ævo truncus erat factus & imbre cavus.
Quod tamen haud ſciſſem, ramis niſi ſervulus altis
Immiſſus, nidos qui removeret, erat:
Cornicum nidos: nam quà ſe plurima cornix
Detinet, haud unus gratior ales abeſt.
Juſſerat extrudi nidos Februarius: ovis
Ne ſimul aut pullis vis nocitura foret.

Quod cum fit, puero per ramos calceus hærens
Excidit, & trunci lapſus in antra cavi eſt.
Non inducta manus, non hamo prædita virga
Reddiderat gelido tegmina cara pedi.
Longior inſerta eſt, curvoque armata tridente,
Pertica: calceolum, quæque retraxit aves.
Sopitas, & aves connexas, os ut in ore
Conſpiceres ſociæ quamque tenere ſuæ.
Pars ita juncta tamen, pars non connexa, ſed unctis
Glutine mandibulis ſingula ducta foras.
Unica protracta eſt prope nudo corpore plumis,
Sed nova per totam pluma redibat avem.
Nomen avis ſentis. Pars ſanguine ſumma notarat
Pectora, pars infra candida corpus erat.
Noluimus quercum ſpoliare volucribus omnem,
Extractas lecto reddidimusque ſuo.
Sed ſimul Aprilis ſudum caput extulit arvis,
Extendi trunco retia parva ſuper.
Inque orbem extendi ſuper, ut quæ carperet auras
Clauſa, & perſpicuo carcere clauſa foret.

Ter-

Digitized by Google

Tertia poſt nonam menſi lux ibat, & ales
Luce ferè media prodiit una foras.
Trunco inſtabat hians, ſoli latera utraque vertens,
Motus & in pigra viſus is unus ave.
Poſtque duas horas tepido ſe reddidit antro,
Sole ſuum gelida nube tegente jubar.
Admovi trunco ſcalas, auremque cavernis:
Perceptum vocis ſed nihil aure fuit.
Poſtera lux ſoles, & quinque caverna volucres
Edidit, æthereas quæ petiere vias.
Retiaque, ut poſſent ire ad ſua vota, reduxi.
Protinus & cælo, qua via facta, volant.
Quà licuit, profugas ſpectavimus ipſe, meique;
Una auſtrum, quatuor verſus iêre notum.
Servitia appoſui, reduces ſpeculantia, trunco,
Et ſi poſt illas ſurgeret ulla cavo.
Unica de profugis remeavit, & altera trunco
Surgere viſa, cavo mox reditura ſuo.
Poſt hanc, quæ menſi ſequitur, Tiburtia lux eſt. (14)
Illa dedit trunco ſurgere pene gregem.

Concava vix illas ceperunt retia, cunctis
Eſt data porta fugæ, detinuique duas.
Una erat agreſtis, ſignataque ſanguine pectus
Altera, ſed corpus pingue duabus erat.
Lumina languebant, pituitaque clauſerat orbes,
Plumaque erat tanquam tacta frequente manu.
Cætera perſimiles æſtivis. Quæque per auras
Pars iit, haud ulla diſpare viſa nota eſt.
Tricenis plures licet auras carpere viſæ,
Nondum omni truncus ſe vacuarat ave.
Altera lux ſeptem, lux tertia quinque volucres
Retibus oſtendit. Parsque ſuprema fuit.
Omnibus his talo filum nexavimus aurêum:
De quibus ante oculos poſt fuit una meos.
Ultimus Aprilis dederat ſuccedere Majo,
Jamque diu nullas rete videbat aves;
Cum variis trunci fundum tentavimus hamis:
Multaque cum paleis edita pluma fuit.
Nulla educta avis eſt ſopita aut mortua. Fœni,
Plumarumque fide copia major erat. (15)

Quod

Digitized by Google

Quod velut haud multum docuit, mihi cauſa videtur,
Poſt habuit nullas quod mea quercus aves.
Forte & reticuli prenſæ meminere volucres,
Omnia reddidimus nam ſua ſtrata cavo.
Quid quid eſt, melior ſpectator hirundinis inde,
Veris & autumni tempus in omne fui.
Somnum autumnalem quoties per viſcera ſentit,
Aſpice, venturi ſigna ſoporis habet. (16)
Languor ineſt pennis, ſeu tecto ad ſtructa caminis
Culmina, ſeu ſtipulas perque fimeta ſedent.
Coge volare; brevi pendebit in aëre curſu,
Cui modo continuus pene volatus erat.
Nec jam iter inflectit volitans, vigor excidit alis,
Sanguis hebet, culicum nec ſuper ulla fames.
Conveniuntque: fugam quod non deſignat, iterque
Longum: ſemianimis non procul iret avis.
Conveniunt, muſſantque anni tranſiſſe labores, (16*)
Bellaque cum muſcis nec ſuper eſſe famem.
Forſitan & languor communis, & ipſe ciborum
Contemptus ſocio jungit amore greges.

Fri-

Digitized by Google

Frigida prima dies noſtris Octobris in oris
 Unâ omnes toto cernit abeſſe polo.
Quarta fugæ vel quinta datur perſæpe: ſemelque
 Poſt idus menſis, viſaque mane novo eſt. (17)
Nec revidebis avem, niſi poſtquam Aprilis ad idus
 Venerit, & magnis laſſa ſit ira notis. (18)
Aëre Romano, Februarius alite gaudet. (19)
 Marticolam reditu Gallia credit avem. (20)
Suecia, quæ ſeros zephiros habet avia tellus,
 Serius hanc Majo ſæpe venire videt.
Et tamen his aliisque locis properantius, utque
 Læſa novo pereat frigore ſæpe, redit. (21)
Stratos extincta progne Reamurius agros,
 Cum nova Pariſiis vere rediſſet hiems;
Vidit & ante id idem, gelidis hiemare ſub undis
 Qui primus docuit Suecicus author avem.
Cumque redit cælo, non multa, ſed unica tantum
 Facta vigil ſocias cernitur ante ſuas.
Nempe procul poſitis ſola illa veniret ab oris?
 Sola peregrinam ſe ſatis una negat. (22)

Alta

Alta nec illa volat: ſeu primum exerceat alas,
Pabula ſeu terris tunc propiora legit.
Sæpe dies, iterumque dies & plurima tranſit,
Ante frequens totum quam per inane volet.
Cumque venit tandem, gyrare per æthera turba
Cernitur, inque ſuas ſæpe redire vias.
Miſcuit & multùm poſtquam ſe plurima multis,
Una avis interdum ſola, repenſque fugit.
Forte avis hæc fruſtra veteres quæſivit amores:
Effera, quodque velut de grege pulſa, fugit,
Quodque ferè recto ſe proripit una volatu;
Fecerit hæc longam, ſi facit ulla, viam.
Quippe & idem armentis, & idem ſpectatur in orba
Conjuge quâque ferâ: par furor inflet avem.
Conſtat enim expertis, longi quod tempore ſomni
Immemor haud facta eſt conjugis ulla ſui.
Conjugibus plerumque domus revidetur eiſdem:
Nidus & artifices novit ubique ſuos.
Re ſuper hac dubius, captis talaria necte
Conjugibus; junctas vere videbis aves.

Vere tamen reduces, aliquanto tempore cernes,
Ante ſolent nidos quam reparare ſuos.
Nidi pingue lutum. Feſtuca ſed indita firmum, (23)
Inque annos plures utile reddit opus.
Glutine ſæpe novo nexatur fabrica pendens.
Strataque reſtaurant interiora ferè. (24)
Rara prius Majo de nidis cogitat ales.
Ovaque quina ferè, dat quoque ſena parens.
Plurima pars nidum bis implet, & ultima proles
Sextilis medios ut volet ante dies.
Non volat, ac nidum, juvet ut ſe ſola, relinquit.
It comes, & victum præbet uterque parens.
Videris arbutea poſitos in arundine pullos,
Utque alternatim dona parentis hient!
Cur ſoboli indulgent tam ſera alimenta parentes?
Nempe quod haud facili paſcitur illa cibo.
Difficilis culicum venatus in æthere. Multis
Flexibus, & penna præpete docta volet.
Ultimus & partus cura potiore fovetur,
Non, quod in hac potior ſtirpe moratur amor.

Sed

Sed cibus, autumno ſub proxima tempora rarus,
Deſtituat ſobolem, ſollicitatque patres.
Utque homo qui feræ veneris ſibi præmia ſpondet,
Nec ſe, nec ſobolem ſæpe valere videt:
Sic prius ac lateant, tenera cum prole, volucres
Spe citius veniens ſæpe necavit hiems.
Quippe aliquas vires, hiemis paſſura latebras,
Plumatum & corpus pingue requirit avis.
Eſt mihi per noſtras, ut multas viſa per oras,
Cui niveus toto corpore candor erat.
Non tamen inde putes Arctoæ gentis alumnam,
Quodve per immenſas venerit illa vias. (25)
Non migrant lepores, nec transfuga paſſer habetur,
Sæpe tamen noſtris albet uterque locis.
Vidimus albentem prope toto corpore ſturnum,
Candida cui patrio nata ſit ala polo.
Naturæ luſus cum tot miracula fecit,
Progenie nigram diſpare donet avem.
Adde, quod Arctois non ſic diſtamus ab oris,
Hic nihil ut longo frigore poſſit hiems.

Sci-

Scilicet ex nimio quod frigore candet hirundo,
Magnus Ariſtoteles, vulgus & omne putat.
Forte ſed hoc certus faciat cibus. Unde volucris
Sæpe Samo, Thraciis non datur alba jugis?
Frigore ſi Samio canderet, proxima tellus
Cerneret albentes & quoque ferret aves.
Sed non alba Thaſo, Lemnoque, videtur & Imbro.
Una Samos placido ſub jove mutat avem.
Sed licet haud cupidè, nec ſæpe per æquora migret, (26)
Ut Samium, in patria non manet omne genus.
Qua volet uſque, famem non paſſa, aut effera luctu,
Una ſed e multis transferet una larem.
Proxima nec tantum, ſed & abſita limina cunis,
Vere parem quærens, aut vaga forte, petet.
In Morinis capta eſt, Aquitanis cognita progne,
Externam docuit teſſera nexa pedi.
Friſcius hinc Saxo mendacem dixit Olaum, (27)
Teſſera quod nullis merſa fuiſſet aquis.
Nec ſub humo fuerit. Varias quod Hirundo latebras,
Ut docui, varia pro regione ſubit.

Omne genus dixi, tria ſunt diverſa, latere.
Primum eſt, quod canimus, præcipuumque genus.
Scilicet hoc illud, quod ſanguine colla notavit,
Quodque fere ſimile eſt, pectoraque alba gerit.
Cognatum genus hoc, & multis dotibus unum:
Conjunctum & trunco vidimus ante meo.
Dicitur agreſtis, volucriſque domeſtica: quamvis
Utraque gaudet agris, & tua tecta ſubit.
Sanguinea Terei natam de conjuge, Naſo,
Sub trabibus cunas ovaque ferre, canis. (28)
Non habitare domos tamen hanc, & dicere agreſtem
Suſtinet, haud aliam qui male novit avem.
Utraque tecta ſubit: ſed agreſtris ſæpe feneſtræ
Aut luteum externis ædibus addit opus.
Nonnihil & minor eſt: mentumque & candida propter
Pectora, congeneris non ſit habenda ſoror.
Cætera perſimilis; cantumque interque volatum,
Junctas ſæpe vides, una videtur avis.
Sed multo minor eſt de ripis dicta, caviſque:
Ut ripis hiemat, nidificare ſolet.

Digitized by Google

Hoc genus amnis Haſæ, ruit altis ſeptus arenis,
  Extraxi loculis, quos avis ipſa facit. (29)
Quaque inter ſcopulos meat Olena, Neuſtrius amnis,
  Plurima de petris pendet ut uva cavis. (30)
Tertia gens apodes: quæ corpore major, acuta
  Voce gemit, Belgis nomen & inde dedit.
Aërea hæc volucris, ſublimibus addita templis,
  Perſequitur nubes inter & aſtra cibum.
Qui cibus ante diem gelido quod in æthere deſit,
  Plus toto ante alias menſe lateſcit aves. (31)
Nec reditum properat, Majali obnoxia ſomno.
  Binaque de ternis, quæ parit ova, fovet.
Scilicet hoc ſatis eſt ſuper alite, mentio cujus
  Non niſi cognatæ nomine facta fuit.
Illa ſemel nonum ſua tecta revidit ad annum:
  Aurea quod docuit fimbria nexa pedi.
Fimbria tot pedibus nexata eſt aurea notis,
  Ut Pandioniæ vita ſciatur avis;
Significetque ævum, quæ dicitur hoſpes agrorum.
  De reliquis minor eſt notio habenda feris.

Et

Digitized by Google

Et dare conor aves, per prædia noſtra frequentes,
Inque dies oculos quæ tenuere meos.
Rure mihi labor hinc jucundus: & otia fallunt,
Cumque obſervantur, cumque canuntur, aves.
Perdita reſtituam, non eſt, ut carmina Macri. (32)
Unde animum ſubeat ſpiritus ille meum!
Sed, licet haud plumas avium numeremus in alis,
Multaque ſollicitus menſor omiſſa putet;
Quas dedimus, placuiſtis aves, & Hirundo priores
Cum deceat, tenuis fama ſequatur opus.

NOTÆ.

(1) *Verſu* 7. Hirundinibus domeſticis, quibus ego ob cantum parcendum dixi, obſtreperam moleſtiſſimamque garrulitatem attribuit Aldrovandus. Fateor alios etiam ornithologos ob cantum illas non laudare. Sed licet auriculis meis non nimium arrogaverim, laudari ob cantum poſſe, non modo ab omnibus video veterum poetis, ſed ab ipſo etiam Platone: qui hirundinis cantum, præcipue vernum, haud inamabilem exiſtimavit, minimeque flebilem. Flebilem vocem hirundinibus adſcripſiſſe poetas cogitandum eſt, quod ad Prognem lamentabilis memoriæ reſpexere, uti jam obſervavit Tzetzes, ſæculi XIII ſcriptor. Græci poetæ eas minurire, id eſt blæſa voce canere, regulumque & rubro pectore prognem Zinzizulare dixerunt Latini. Quodque Zinzizulare in laudem hirundinum accipi debet, vides ex adjuncto regulo, qui apud Authorem Philomelæ certe inter aviculas ſuaviſſimè canentes habendus eſt.

(2) *Verſu* 14. Muſcas & volucria inſecta nusquam plura quam in paludoſo & æſtuoſo aëre, & nusquam noxiora eſſe, res eſt in confeſſo. Contraque hoc malum, hominibus & armentis peſtiferum, ſicut in remedium a natura muſcivoræ aves datæ ſunt, ita inter beneficentiſſimas habendæ ſunt hirundines: quas in muſcarum venatione per omnem diem, adque ſeram usque veſperam occupatas vides. Guenaldus, illuſtriſſimi Buffonii in ſcribendis avibus ſocius, qui Monbeliardum in Burgundiæ finibus verſus Vogeſum habitat, hirundines ſcribit granaria oppidi ſui ſubire, granaque curculionibus purgare: quæ obſervatio eas

ſtan-

Digitized by Google

ſtantes veſci doceret, Pliniumque & Ariſtotelem refelleret, qui ſolum eas inter volatum paſci ſcripſere.

(3) *Verſu* 38. Ceſpes uſtilis, (quem inter hiberna hirundinum conditoria eſſe dixi) antequam effoſſus, inque lapidum lateritiorum formam deſciſſus eſt, alta & ſpongioſa terra eſt, facile a pluviis & animantibus terreſtribus exeſa. Utque creberrimis foſſis, quæ poſſeſſoribus pro terminis ſunt, adque ſiccandam ſuperficiem, perſcinditur, in marginibus foſſarum, creberrima habet foramina: ex quibus haud ſemel hirundines ſopitæ, tam agreſtes quam domeſticæ, per hiemem extractæ ſunt. Cumque ceſpititii lateres in certæ magnitudinis cumulos congeſti, empturis ad navigeras foſſas venales proſtant, & in eorum foraminibus per hiemem latitaſſe viſæ ſunt. Dictum mihi eſt, & in templorum parietibus apud nos repertas fuiſſe, quod tamen non ita ſæpe audivi, ut veritatem affirmare auſſim. Sed qui hirundines in Batavorum arundinetis, ſubque dejectis vetuſtæ arboris radicibus latitaſſe ſciunt, vivunt Hagæ Comitis: ſuntqne probitate & ſcientia nobiles, phyſicis præcipue notiſſimi viri, Petrus ſcilicet Lyonet, & Arnoldus Voſmar. Hic in ipſo Hagenſi foro cum ad prætorii foſſam Martio menſe eradicari arborem vidiſſet, ex cavernis, quas arbor per radices fecerat, tricenas circiter evolare conſpexit hirundines, aliſque nondum ad volatum agilibus, ſolum ad certam tantum diſtantiam radere: ſic ut pleræque a circumſtantibus prehenſæ, domeſticæque & agreſtes hirundines ex propinquo cognitæ ſint. Lionetus, haud procul Haga, cum in amici viri ſuburbanum per hiemem divertiſſet, aſportari ad dominum villæ complurimas vidit ſopitas hirundines, manibus ſervitiorum arundinetis extractas: quas dominus villæ in hypocauſtis exoticarum arborum ſomno ſuo hibernali excitavit, diuque vivas & volucres conſervavit. Uterque te-

teſtium, quaſi opinionem aliquam ſibi caram tueantur, ſuſpectari non poſſunt. Voſmarius de exoticis aliquot animalibus, nihil unquam ſcripſit de hirundinibus. Lionetum unica ſua immortalem fecit eruca. Sæpeque vir ſtudioſiſſimus veri inculcavit mihi, hominem naturæ cognoſcendæ deditum debere animum paucis tantum ſtudiis intendere, poſteris ſi velit ex cognitionibus ſuis conſulere. Idque conſilium vir ſeptuaginta ſeptem annorum, cum & hoc anno iteraret mihi, oſtendebat Reamurii quæſtiones per epiſtolas creberrimas ad ipſum miſſas, addebatque reſcripſiſſe ſe identidem: „ honoraris me per illas domine, ſed nimium multis animum „ & oculos applicas, ſi ab exigua perſpicacitate, quam debeo fidem, „ exſpectas." Eam tamen ſe Reamurio ſemper præſtitiſſe ajebat, ſed diligentia ultra modum aucta: quod viro per ſe meritiſſimo, & ſtudia ſua depereunti gratificari cuperet. Tali igitur teſti non credere, ſicut inhoneſtum, plane barbarum fore exiſtimo. Nec honoratiſſimo apud noſtrates Voſmario minor debetur fides. Poſt quos allegare obſcuros homines, qui in noſtris tractibus ex ceſpititia terra traxere hirundines, neque decorum, neque juvaturum: quod tales magno numero teſtes adduxiſſe, Kleinio fruſtra fuit.

(4) *Verſu* 46. Olaus Magnus, qui ante ducentos & triginta circiter annos vivere deſiit, primus ſub aquis ſeptentrionalibus hiemare ſcripſerat hirundines. Virique gravis authoritas (erat enim Upſaliæ Archiepiſcopus) licet ultra meritum exploſa ſit ab iis, qui aviculis peregrinantibus addunt hirundines; tanti tamen prima hujns rei mentio ab aliis æſtimata eſt, ut in gloriam Kirchero attributa ſit, cui neutiquam competit. Centum annos poſt Olaum vixit Kircherus. Neque Olai libri XX, in Italia, & in Belgio editi, tam ignoti ſunt, ut veriſimile ſit Kircherum eos non legiſſe. Cum vero Kircherus Jeſuita a ſui ordinis miſſionariis confir-

firmari audierat, quod Olaus primum de hirundinibus ſcripſerat, non modo eas latitare in fretis ſtagnantibus, inque paludibus, ſed & in puteis ſcripſit & in ciſternis: nec tantum id Suecicas ſed & Sarmaticas, Moravicas & Sileſias ſolere. Et hoc ante Kircherum indicaverat Aldrovandus, qui certè ab eo lectus fuerat. Sed Kirchero competit, primum indicaſſe, Arctoas hirundines ſolas ſub aquis latere, quod Aldrovandus non viderat, licet avibus per longiſſimam ætatem intentus. Kircheri diſtinctio viam ad veritatem oſtendit. Propter eaque laudem meritus eſt. Sed illam nullo jure, quæ à ſui ordinis ſcriptoribus & hoc ſæculo pleniſſime ipſi admenſa eſt, licet Olaus XIX libro hæc clariſſima verba ſcripſerat. „ Septentrionalibus aquis ſæpe a piſcatoribus extrahuntur hirundines in „ modum conglomeratæ maſſæ inter ſe connexæ. Poſt principium au- „ tumni ore ad os, ala ad alam & pede ad pedem ſe colligant, inter „ cannas deſcenſuræ. Suaviſſimoque completo cantu deſcendunt; inde „ iterum poſt principium veris pacificè evolaturæ. Nidosque notos „ unamquamque repetere a ruſticis hominibus notatum eſt." Nihil falſum, nihil non veriſſimum ſcripſiſſe Olaum docuerunt ſecuti ſcriptores complurimi: ſed qui crediti ſunt, uti ille, & uti hoc ſæculo Jacobus Kleinius, ſenator Gedanenſis, centum adductis teſtibus omnem fidem meritus. Cum colligeret illos teſtes, qui ruſtici erant Vandali ſe ab illis irriſum fuiſſe ſcribit, ut relaturum eruditis hominibus tam cognita. Quam vero teſtes illi, & Vandalum omne vulgus eruditos homines ſuſpicerent, Kleinio cum tot ſuis teſtibus fidem denegantes!

(5) *Verſu* 58. Quod de hirundinibus verno tempore ex Norvegica lacu prodire viſis ſcripſi, de verbo ad verbum ſumptum ex commentario hominis Batavi, paulo ante undecem annos, quo tempore Hirundinem meam ſcripſi, Amſtelodami edito. Ex Norvegia tum ſcriptor commen-

NOTÆ.

(1) *Verſu 7.* Hirundinibus domeſticis, quibus ego ob cantum parcendum dixi, obſtreperam moleſtiſſimamque garrulitatem attribuit Aldrovandus. Fateor alios etiam ornithologos ob cantum illas non laudare. Sed licet auriculis meis non nimium arrogaverim, laudari ob cantum poſſe, non modo ab omnibus video veterum poetis, ſed ab ipſo etiam Platone: qui hirundinis cantum, præcipue vernum, haud inamabilem exiſtimavit, minimeque flebilem. Flebilem vocem hirundinibus adſcripſiſſe poetas cogitandum eſt, quod ad Prognem lamentabilis memoriæ reſpexere, uti jam obſervavit Tzetzes, ſæculi XIII ſcriptor. Græci poetæ eas minurire, id eſt blæſa voce canere, regulumque & rubro pectore prognem Zinzizulare dixerunt Latini. Quodque Zinzizulare in laudem hirundinum accipi debet, vides ex adjuncto regulo, qui apud Authorem Philomelæ certe inter aviculas ſuaviſſime canentes habendus eſt.

(2) *Verſu 14.* Muſcas & volucria inſecta nusquam plura quam in paludoſo & æſtuoſo aëre, & nusquam noxiora eſſe, res eſt in confeſſo. Contraque hoc malum, hominibus & armentis peſtiferum, ſicut in remedium a natura muſcivoræ aves datæ ſunt, ita inter beneficentiſſimas habendæ ſunt hirundines: quas in muſcarum venatione per omnem diem, adque ſeram usque veſperam occupatas vides. Guenaldus, illuſtriſſimi Buffonii in ſcribendis avibus ſocius, qui Monbeliardum in Burgundiæ finibus verſus Vogeſum habitat, hirundines ſcribit granaria oppidi ſui ſubire, granaque curculionibus purgare: quæ obſervatio eas

I ſtan-

ſtantes veſci doceret, Pliniumque & Ariſtotelem refelleret, qui ſolum eas inter volatum paſci ſcripſere.

(3) *Verſu* 38. Ceſpes uſtilis, (quem inter hiberna hirundinum conditoria eſſe dixi) antequam effoſſus, inque lapidum lateritiorum formam deſciſſus eſt, alta & ſpongioſa terra eſt, facile a pluviis & animantibus terreſtribus exeſa. Utque creberrimis foſſis, quæ poſſeſſoribus pro terminis ſunt, adque ſiccandam ſuperficiem, perſcinditur, in marginibus foſſarum, creberrima habet foramina: ex quibus haud ſemel hirundines ſopitæ, tam agreſtes quam domeſticæ, per hiemem extractæ ſunt. Cumque ceſpititii lateres in certæ magnitudinis cumulos congeſti, empturis ad navigeras foſſas venales proſtant, & in eorum foraminibus per hiemem latitaſſe viſæ ſunt. Dictum mihi eſt, & in templorum parietibus apud nos repertas fuiſſe, quod tamen non ita ſæpe audivi, ut veritatem affirmare auſſim. Sed qui hirundines in Batavorum arundinetis, ſubque dejectis vetuſtæ arboris radicibus latitaſſe ſciunt, vivunt Hagæ Comitis: ſuntque probitate & ſcientia nobiles, phyſicis præcipuè notiſſimi viri, Petrus ſcilicet Lyonet, & Arnoldus Voſmar. Hic in ipſo Hagenſi foro cum ad prætorii foſſam Martio menſe eradicari arborem vidiſſet, ex cavernis, quas arbor per radices fecerat, tricenas circiter evolare conſpexit hirundines, aliſque nondum ad volatum agilibus, ſolum ad certam tantum diſtantiam radere: ſic ut pleræque a circumſtantibus prehenſæ, domeſticæque & agreſtes hirundines ex propinquo cognitæ ſint. Lionetus, haud procul Haga, cum in amici viri ſuburbanum per hiemem divertiſſet, aſportari ad dominum villæ complurimas vidit ſopitas hirundines, manibus ſervitiorum arundinetis exſtractas: quas dominus villæ in hypocauſtis exoticarum arborum ſomno ſuo hibernali excitavit, diuque vivas & volucres conſervavit. Uterque te-

teſtium, quaſi opinionem aliquam ſibi caram tueantur, ſuſpectari non poſſunt. Voſmarius de exoticis aliquot animalibus, nihil unquam ſcripſit de hirundinibus. Lionetum unica ſua immortalem fecit eruca. Sæpeque vir ſtudioſiſſimus veri inculcavit mihi, hominem naturæ cognoſcendæ deditum debere animum paucis tantum ſtudiis intendere, poſteris ſi velit ex cognitionibus ſuis conſulere. Idque conſilium vir ſeptuaginta ſeptem annorum, cum & hoc anno iteraret mihi, oſtendebat Reamurii quæſtiones per epiſtolas creberrimas ad ipſum miſſas, addebatque reſcripſiſſe ſe identidem: „ honoraris me per illas domine, ſed nimium multis animum „ & oculos applicas, ſi ab exigua perſpicacitate, quam debeo fidem, „ exſpectas." Eam tamen ſe Reamurio ſemper præſtitiſſe ajebat, ſed diligentia ultra modum aucta: quod viro per ſe meritiſſimo, & ſtudia ſua depereunti gratificari cuperet. Tali igitur teſti non credere, ſicut inhoneſtum, plane barbarum fore exiſtimo. Nec honoratiſſimo apud noſtrates Voſmario minor debetur fides. Poſt quos allegare obſcuros homines, qui in noſtris tractibus ex ceſpititia terra traxere hirundines, neque decorum, neque juvaturum: quod tales magno numero teſtes adduxiſſe, Kleinio fruſtra fuit.

(4) *Verſu* 46. Olaus Magnus, qui ante ducentos & triginta circiter annos vivere deſiit, primus ſub aquis ſeptentrionalibus hiemare ſcripſerat hirundines. Virique gravis authoritas (erat enim Upſaliæ Archiepiſcopus) licet ultra meritum exploſa ſit ab iis, qui aviculis peregrinantibus addunt hirundines; tanti tamen prima hujus rei mentio ab aliis æſtimata eſt, ut in gloriam Kirchero attributa ſit, cui neutiquam competit. Centum annos poſt Olaum vixit Kircherus. Neque Olai libri XX, in Italia, & in Belgio editi, tam ignoti ſunt, ut veriſimile ſit Kircherum eos non legiſſe. Cum vero Kircherus Jeſuita a ſui ordinis miſſionariis confir-

Digitized by Google

firmari audierat, quod Olaus primum de hirundinibus ſcripſerat, non modo eas latitare in fretis ſtagnantibus, inque paludibus, ſed & in puteis ſcripſit & in ciſternis: nec tantum id Suecicas ſed & Sarmaticas, Moravicas & Sileſias ſolere. Et hoc ante Kircherum indicaverat Aldrovandus, qui certè ab eo lectus fuerat. Sed Kirchero competit, primum indicaſſe, Arctoas hirundines ſolas ſub aquis latere, quod Aldrovandus non viderat, licet avibus per longiſſimam ætatem intentus. Kircheri diſtinctio viam ad veritatem oſtendit. Propereaque laudem meritus eſt. Sed illam nullo jure, quæ à ſui ordinis ſcriptoribus & hoc ſæculo pleniſſime ipſi admenſa eſt, licet Olaus XIX libro hæc clariſſima verba ſcripſerat. „ Septéntrionalibus aquis ſæpe a piſcatoribus extrahuntur hirundines in „ modum conglomeratæ maſſæ inter ſe connexæ. Poſt principium au„ tumni ore ad os, ala ad alam & pede ad pedem ſe colligant, inter „ cannas deſcenſuræ. Suaviſſimoque completo cantu deſcendunt; inde „ iterum poſt principium veris pacificè evolaturæ. Nidosque notos „ unamquamque repetere a ruſticis hominibus notatum eſt." Nihil falſum, nihil non veriſſimum ſcripſiſſe Olaum docuerunt ſecuti ſcriptores complurimi: ſed qui crediti ſunt, uti ille, & uti hoc ſæculo Jacobus Kleinius, ſenator Gedanenſis, centum adductis teſtibus omnem fidem meritus. Cum colligeret illos teſtes, qui ruſtici erant Vandali ſe ab illis irriſum fuiſſe ſcribit, ut relaturum eruditis hominibus tam cognita. Quam vero teſtes illi, & Vandalum omne vulgus eruditos homines ſuſpicerent, Kleinio cum tot ſuis teſtibus fidem denegantes!

(5) *Verſu* 58. Quod de hirundinibus verno tempore ex Norvegica lacu prodire viſis ſcripſi, de verbo ad verbum ſumptum ex commentario hominis Batavi, paulo ante undecem annos, quo tempore Hirundinem meam ſcripſi, Amſtelodami edito. Ex Norvegia tum ſcriptor commen-

tarii iſtius redierat, ſeque cum centum teſtibus relata ſua vidiſſe commemorat. Decem verſibus dicta hominis ignoti, ſed a nullo apud noſtrates non crediti, contraxeram, ſcriptumque meum, ſine notis ullis editum, ex manibus illuſtriſſimi Buffonii, cui illud paulo poſt Pariſiis dederam, ad oculos venit illuſtriſſimi amici ipſius Guenaldi, de Hirundine tunc ſcripturi. Ille, (ſecutus Buffonium) cum hirundines agreſtes & domeſticas peregrinari opinatur, nihil non omiſit, ut quam fovet uterque ſententiam, vero ſimilem faciat. Maxime tamen ad hoc facere, videri ſibi ſcribit, quod nullus eas ex latebris ſcriptor, aut ex aquis ipſo extraxit, nullus commemoret, quomodo verno tempore ex aquis prodeuntes ſe habeant, ſeque exſiccent & in auras extollant. Scire ſe equidem me unicum hoc referre, ſed in poemate. De veritate quæſtionem eſſe, non de fabulis. Atqui verſiculos meos de Hirundine quisquis legerit, videt me fabulis aut fictionibus minimè deditum, ſollicitè occupatum de veritate, aut oculis meis viſa retuliſſe, aut lecta & audita per teſtes confirmaſſe, quatenus id haud barbare ſcribenti liceat, deinde rationes attuliſſe, nec nimium vanas, modo illas perpendere voluiſſet Guenaldus. Nemo certè ante me aut verſibus aut proſa ſcripſerat, peregrinantibus in æthere cibum defore, peregrinaturis præcipue ad ultimos Mauros: ad quos hirundines Gallicæ & a Buffonio & a Guenaldo ablegantur. Vellem iſtam verſiculis expoſitam rationem infirmari videre. An æqui ponderis eſt ratio, quod nullum ſcriptorem ex latebris hibernis hirundinem extraxiſſe, nullum dicit vidiſſe ex aquis prodeuntem. Demus Studioſis (plerumque ſedentariis hominibus) id oſtenſum non fuiſſe. Oſtendat vero ille, qui gregatim peregrinantes has aves vidit, oſtendat, qui eas, ut anſeres, anates, turdos euntes per cælum, & ex immenſæ diſtantiæ locis revertentes ullis in terris, ullo in mari conſpexit. Atque hoc ab attentis philoſophis non modo, ſed ab omni ſpectatum vulgo fuiſſet, ſi ſpectari poſſet. Spectatum vero & a ſcripto-

ri-

ribus, & ab innumeris teſtibus: quod plus quam temerè ſpectatum negat. Ut de verſiculis meis taceam, quos ſibi pernotos eſſe ſcribit, quoties adducit Kleinium? Centum apud Kleinium teſtes, & ex aquis, & ex arundinetis & ex quibuscunque latibulis extractas oſtendunt hirundines. Oblitusne fuit Guenaldus Kleinium, quem toties allegat, a ſe perlectum fuiſſe? Sed ſui ipſius videtur oblitus fuiſſe. Ipſe domeſticam hirundinem, ex trabe domus in vas aqueum delapſam, perque tres horas extinctam, animam recipere, reſurgere, revolare, & in auras ire conſpexit. Tamque ſingulari fato ſcriptori in ipſa ipſius domo oſtenſus caſus documentum non fuit, avem habere pulmones cum aquis admodum familiares. Nihil ſubmerſæ adjumenti adminiſtrari potuit. Auraque, & aura autumnalis ſola reficere gelatas & rigentes morte fibras potuit. Eſt hoc certe aliquid: & quod ad Kleinii & tot teſtium experientiam accedere videatur, argumentis quidem graviſſimis non adnumerandum, niſi ex ſimilibus Guenaldus ad tuendam opinionem ſuam faceret ponderoſiſſima.

(6) *Verſu* 65. Optimi ſcriptores avium, eas tantum transmigrantibus addunt, quæ vere & autumno gregatim peregrinari videntur: cæteras omnes per hiemem latitare credendum eſt. Neque transmigrantibus addendæ hirundines, in apricam viciniam, ſive mari ſive terra (veluti ex Thracia en Ægypthum) devolantes. Neque locuſtas aut papiliones perſecutæ, ventisque ex litore dejectæ, vel ſi procul a terra perque oceanum à nautis videntur, tranſmigrantes habeantur: quod aviculis tam per æſtatem quam autumnum accidit. Hirundines vero, ſi ex Gallia in Mauritaniam Tigritanam quotannis diſcederent, uti Buffonius & Guenaldus exiſtimant, omnibus annis & quam immenſi greges viderentur. Sive terra ſive mari iter facerent, ſive, ut exiguæ aves pleræque, litus le-

Digitized by Google

gerent, tam a Mauris omnibus, quam ab Hiſpanis, pelagumque ſemper tenentibus nautis agnitæ, famam facerent, famamque jam diu creditam. Secus undique cum ſonet fama, ſuper profundum oceanum, inaſpectabile per inane ablegantur, ubi nullus ipſis cibus, nullaque ſubminiſtratur requies, licet id miſerarum iter, ſeptem dierum eſſe ſcripſerit Buffonius.

(7) *Verſu* 70. De cibi penuria hirundinem non modo, ſed plures avium a peregrinatu abſterrente, mirum eſt tam Veteres quam Recentiores non cogitaſſe. Veteres quidem non ita multas aves peregrinatum miſere, ſed recentes ornithologi innumeras: quibus neceſſario de viatico providiſſent, ſi quod ſcriberent, ſatis perpenderent. Modo typis editus ſit liber, manſurus creditur. Tamque ſollicitos ſcriptores ab inventa typographia non eſſe, quam veterum tempore, querela eſt jam facta, nec ſatis iteranda. Sed neque de ratione aves complurimas neceſſario ab iterationibus impediente cogitarunt Veteres. Dixi mirum eſſe. Nam ſi hujus rei mentio facta fuiſſet, haberetur apud Plinium: ipſeque Plinius ciconias in longinquum amandans non ſcripſiſſet: „ nemo vidit agmen „ diſcedentium, cum deſceſſurum appareat. Nec venire, ſed veniſſe „ cernimus. Utrumque nocturnis fit temporibus." Sic tamen de die viſæ fuiſſent, aliquas ad terras quietis cauſa, aut ad cibum delapſæ. Quæ cogitatio prius & facilius in mentem veniat! Sed quid mirum eam & tamen ſcriptoribus nondum incidiſſe. Cum ego rationem illam verſiculis ſatis claris in Hirundine mea expoſueram, tam parum a Guenaldo perpenſa, tamque contempta eſt, ut ne ulla attentione quidem dignam habuerit. Tamen ratio verſiculis edicta ſemper ratio eſt. Neque Lucretio contemptum, ſed rationes oppoſuit Poligniacus.

(8) *Verſu*

Digitized by Google

(8) *Verſu* 77. Ariſtoteles omnia propemodum de Hirundibus aliisque avibus hieme latentibus nunc nota, verbisque clariſſimis ſcripſerat: quæ talia „ Avium complures hieme conduntur, non, ut aliqui putant, „ paucæ. Nec omnes ad loca tepidiora abeunt: ſed quibus loca ea „ ſunt vicina ſolitæ ſedi, iis ſecedere libet. Quæ autem procul locis „ tepidioribus morantur, non mutant ſedem: ſed ſe ibidem condunt. „ Jamque ſatis multæ viſæ ſunt conditæ hirundines in anguſtiis convallium, nudæ atque omnino implumes." Neſciit Ariſtoteles eas etiam ſub aquis latere, quod primum docuit Olaus: idque tantum Arctoas facere, quod primum vidit Kircherus: proque regionum varietate varia eſſe latibula, quod primum diſtinxiſſe me exiſtimo. Sed facile eſt aliquid inventis addere difficilius impedire, ne cognitiones licet certiſſimæ, iterum ab incredulis, leviterque contradicentibus mergantur.

(9) *Verſu* 88. Apodes longiſſimis alis natæ ſopiuntur ab illis, qui reliquas peregrinatum mittunt. Iidemque nihilo minus ſcribunt, alas longiores ad peregrè eundum volucribus datas fuiſſe. Omnibus quidem hirundinibus alæ ſatis longæ ſunt, ideo verò a natura extenſæ, ut victus inter volatum paſcendis ſufficeret. Quæque in ſummo æthere difficillimum cibum habituræ eſſent, pennas apodes accepere longiſſimas.

(10) *Verſu* 96. Quod de Cheruſcis montis Meliboci hirundinibus, in hypocauſtis, (quæ ad ferri officinas ibi immenſa ſunt) per hiemem viventibus ſcripſi, ex ore habeo hominis ob probitatem & hiſtoriæ naturalis ſcientiam fide digniſſimi, quique ex locis iis oriundus, jam pridem Groningæ cohortis eſt prætoriæ ad Principis cuſtodiam præfectus. De cætero Guenaldum ego non imitabor, in uno aut altero ignorato

teſte,

Digitized by Google

teſte, apud poſteros non valituro, in favorem opinionis meæ adducendo. Quo enim homo Norvagus nullo nomine, aut obſcurus Muſcovita? ſi ſub aquis nullas videre Hirundines, Kleinii teſtes innumeri mentiuntur? Neſcire hoc fieri, an tantum haberi debeat, quantum ſe vidiſſe qui dixerit? ego vero Domino Reber, (ſic enim Cheruſcus teſtis meus nominatur,) ut facile credam, facit Martialis: qui hirundinem Romæ, in thermis forte moratam, ab aliis verno tempore reverſis, in earum nido laceratam fuiſſe ſcribit. Laceratam credo apud Martialem ſignificare nido depulſam, ſcilicet ut fatum haberet, Itis matri debitum, ſed ſerius, quam meruerat, datum.

(11) *Verſu* 102. Hirundines in Ægyptho perennare ſcripſerat Herodotus. Verumque ab illo antiquiſſimo teſte ſcriptum fuiſſe, recentis ævi peregrinatores videre, interque eos Belonius Gallus. Nihilo minus perennare eas tantum ad Nili fontes ſcribit Guenaldus: quos fontes Herodotus & Belonius ſæculi XVI ſcriptor ignoravere, multo minus vedere. Perennant in ea regione, quam veteres Deltam dixere, adque Nili oſtia. Numeroque ibi majore per hiemem quam per æſtatem videntur: quod itidem in colonia noſtra Africana Bonæ Spei obſervavit Kolbius. Non vero ideo inferendum, avem peregrinatricem eſſe, vel cum tepens vicinia in propinquo non ſit. Non deſunt vel & in ea parte Africæ ſaltus admodum frigidi, qui hirundines per hiemem non ferrent, indeque illas neceſſario fugent.

(12) *Verſu* 106. Regiones Moenalias, in quibus ſub aqua hiemant hirundines, a Suecia ad Poloniam, Sileſiam, Moraviam & ad Bojohemiam uſque extendit Kircherus in quarum tamen regionum partibus,

forte

Digitized by Google

forte magis apricis, & in puteis latent & in ciſternis, uti a teſtibus fide digniſſimis ſe comperiſſe ſcripſit Aldrovandus. Nec ſecus avibus eas in longinqua diſcedentibus annumerat. Quod vero hominem ſic ſibi contradicere fecit, idem eſſe exiſtimo, Quod & Buffonium & Gueualdum a vero videtur ſeduxiſſe. Naturam pro aliis locis aliam eſſe, haud iis in mentem venit; quod tamen phyſicam docendi inter elementa accipiant, neceſſe eſt.

(13) *Verſu* 119. Duas cauſas, quibus ſub aquis ſopitæ reviviſcant hirundines, in verſibus meis, ut divinationes propoſui: quibus videtur addi poſſe, quod forte calor centralis (ſic nunc vocant illum ignem phyſici terris interioribus abditum) ex annua rotatione terræ in iis partibus augeſcat, quæ verno tempore ſolem verſus inclinantur, ignemque abditum ſecum vergant. Quod ſi ita fieret, neceſſario illas partes, vernum tempus habituras, tam ignis calefaceret interior, quam exterius ſol. Certum eſt ex affirmatione eorum, qui altiſſimos puteos habent, aquam putealem inclinata hieme minus frigidam ſentiri & eſſe, quam menſibus æſtivis, quibus ſe incipit a ſole tellus avertere. Foſſores metalliferi ididem affirmant, & ſicut a docto Meliboci montis incola accipio, menſe Martio in tantum augeſcit calor ſubterraneus, ut in fodinis altioribus intermitti propterea labor debeat. Parvum eſt, ſed tamen aliquid, quod in noſtris tractibus foſſæ in tantam altitudinem cavari autumno non poſſint, quam menſe Aprili, aqua ſe verſus ſupernam terram menſe Auguſto referente, uti omnibus notum foſſoribus, & uti ipſe in villæ meæ foſſionibus non ſemel expertus ſum.

(14) *Verſu* 177. Kalendas & menſium dies non tam eorum numero, quam

quam Divovum nominibus deſignari, mediis ævis per omnem Europam invaluit. Inque noſtris faſtis ididem non modo obtinuit, ſed in hunc uſque diem & acta publica & privati contractus inde tempus ſuum diſignant. Conſtantius tamen veterem conſuetudinem ſervare video Arctoam illam Germaniam, quæ ab Amiſio verſus mare ad Viſtulæ oſtia extenditur. Jo. Colerus, ſcriptor ad Spream amnem natus, qui me multa in rebus ruſticis, aliqua ad cognoſcendas aves docuit, dies anni pleraſque Divorum natalibus inſignit: ſic ut in operis ejus lectione perpetuo ad Kalendarium operi præfixum reſpiciatur. Tiburtius & in eo Kalendario diem XIV Aprilis grandibus literis deſignat.

(15) *Verſu* 198. Si quotquot hirundines in cavis arborum per hiemem conditas videre, enumerem a Claudiano ad noſtrum tempus ſcriptores innumeros oſtenderem. Unicum operæ pretium eſt indicare Georgium Majorem, quod is interpres eſt ſacrarum literarum, quodque, non multum lectus, a nemine fortaſſis inveniretur; quodque ſicut Voſmarius noſter, hirundines reperiit in arbore urbis habitatiſſimæ, qualis certe Wittenberga fuit ſæculo XVI ob ſtudioſorum tum ibi confluentium multitudinem. Eſt ad Epiſtolam Pauli primam Corinthicam, verſu XV, quod iſtud teſtimodium Majoris reperitur. Addiditque ex actis antiquis Divorum, ejus generis inventa primitivis Chriſtianis pro argumento contra Ethnicos fuiſſe, ad mortuorum reſurrectionem ipſis oſtendendam

(16) *Verſu* 206. Signa venturi ſaporis, quæ in hirundinibus conſpectui noſtro auferendis per autumnum dixi videri, deſcripſi, prout illa a me nec ſemel obſervata ſunt. Licet poetica & ficta Guenaldo viſa-

viſa ſint, iisdem propemodum verbis deſcripſit illa ſigna Kleinius, cujus opus eo tempore nusquam videram, & quod, uti notum, ſoluta oratione ſcriptum fuit. Valet aliquid ad perſuadendum incredulos, tam conſona noſtra eſſe teſtimonia. Sed quid valere poſſe exiſtimem, apud quos Kleinius, vir probus, ſcriptor nobilis, Senator Gedanenſis, centum adductis teſtibus nihil valuit.

(16*) *Verſu* 215. Hirundines jam jam cælo abituras convenire, interque ſe de finitis anni laboribus muſſare cum dico: poeticè id quidem, ſed verum dicere videar, hominibus ſaltem non planè barbaris, verbaque poetica poetæ non adempturis. Apud Virgilium apes non modo de laboribus ſuis muſſant, ſed caſtris audebant vellere ſigna, grandævisque curam tuendi & muniendi oppidi aſſignabant. Dicit Kleinius, quod ego in verſibus, illasque tum nullas in æthere muſcas perſequi, & ad volatum vix cogi poſſe. Dicit præterea captas pinguiſſimas repetiri. Exque illis inertiæ & jam congelati ſanguinis ſignis, evidens argumentum deducit, quod ad immenſum iter nequaquam ſint idoneæ.

(17) *Verſu* 222. Licet ſtatis propemodum diebus apud nos cælo abeant, ſtatisque redeant, ante undecim annos (anno ſeculi ſeptuageſimo tertio) hirundinem unam & alteram in cælo vidi die XVI Octobris. Quod & tum memini inſtar miraculi & ab aliis viſum eſſe. Sed mirum magis, ad eum usque diem apud Gedanenſes plerisque annis ſupereſſe: id enim teſtatur Jacobus Kleinius. Nec non notabile eſt Aldrovandum ſcribere, Hirundines circa finem Auguſti aut primas ſeptembris dies cælo Bononienſi diſcedere, Martio menſe ineunte reddi. An Semeſtrem ſomnum per omnes terras ut compleant neceſſe eſt?

(18) *Verſu*

(18) *Verſu* 224. Circa diem Aprilis XII. XIII. aut XIV, ocius & raro ſerius apud nos revidentur. Anno tamen præterito die prima Aprilis unica a me viſa eſt, promeridiano & ſereno tempore, ſuper foſſam publicam navigeram volans, villæ meæ præterfluentem. Tribusque aut quatuor diebus poſt haud paucæ viſæ ſunt ab hominibus agro meo vicinis. Sed eodem anno abſuere ante primam Octobris, hiemis rigentiſſimæ utrum præſenſione, non dixerim. Rediere hoc anno die decima tertia Aprilis ſub veſperam, tonitru mox ſubſequente, ſed minore numero, uti ab omnibus notatum, rediere. Imminuta ſine dubio frigoris inſolentia, quæ complurimas alias aves, ſturnos tamen inprimis notabiliter imminuit. Conſtans & hæc eſt obſervatio, in verſibus meis memorata, viſis vere hirundinibus ventos violentiſſimos ceſſare, qui ante earum adventum perque complures dies cælum noſtrum commovent. Forte per eos ventos ſicut tenuatur aer, tenuatur & in ſopitis volucribus ſanguis. Ei certe venti, qui earum adventum proximè præcedunt, omnèque Batavum & Gallicum litus & mare commovent, iter facientibus immanem in modum obſtarent: adeoque illas pelago aut terris adſternerent, ut nullas ex Mauritania reduces acciperemus.

(19) *Verſu* 225. Ovidius Romæ hirundines vigeſimo ſexto Februarii, Julius Cæſar apud Plinium, libro XVIII capite XXVI, revideri illas dicit vigeſimo ſecundo. Et eos ego dies Romæ tranſegi, ſed de earum reditu, deque avibus deſcribendis tum non cogitans, obſervavi tamen, avium omne genus Romæ, quam in noſtris locis, infrequentius eſſe. Qua de re poſt ſæpe cogitanti, viſus eſt Romanus ager, multo minus quam noſtratium cultus, granivoras aves ideo minus invitare, humusque cæmentis ſaxisque contritis plusquam alia omnis tellus imbuta, nec propterea vermivoras aves paſcere poſſe.

(20) *Verſu*

Digitized by Google

(20) *Verſu* 226. Aldrovandus hirundines Bononiæ menſe Martio ineunte, in Galliis verſus meridiem circa menſis idus, verſusque ſeptentrionem ſitis poſt æquinoxium, circaque finem menſis Martii reviderі ſcribit Guenaldus.

(21) *Verſu* 230. Quotquot ab Ovidio ad noſtrum usque tempus de hirundinum reditu commemoravere, magnum teſtantur numerum perire a frigore, quod in cælum reduces nonnunquam ſentiunt. Magnum etiam numerum interire ſub aquis ſcribit Kleinius, a cancris quod comedantur, cum ſe condunt, cumque reſurrecturæ ſunt: mediis frigoribus cancros ſe, ut ipſas hirundines, non commovere: hoſtes vero aquaticos quod timendum habeant, præſcire videri dicit idem optimus obſervator, quod hirundines arundiferis & ulvoſis aquis, piſci & cancro non perviis ſe plus quam aliis condere ament fluctibus. Idque aſſeverari conſtante gentium Arcticarum obſervatione video.

(22) *Verſu* 238. Quod reduces ſolæ aut ſaltem non numeroſæ videntur, attentos ſcriptores docuiſſet jam pridem, eas ex longinquo non revolaſſe, niſi præconcepta opinio contumax & validior eſſet, quam ulla ratio. Quin vero in Aſiæ litora, vicina Nilo, numeroſæ redeant, numeroſæque abeant, nullus dubito. Sic recedunt & veniunt in coloniam noſtram Americanam, quæ Suriname dicitur, inque illam Africanam, quæ a bona ſpe denominatur. Americanæ autem tam prorſus noſtratibus diſpares, ut vix congeneres videantur.

Digitized by Google

(23) *Verſu* 261. Hirundines luto conſtruunt, ſtramento roborant. Si quando inopia eſt luti, madefactæ multa aqua pulverem ſpargunt. Verba ſunt Plinii: qui lutum vocavit terram pinguem, qualem per omnem Italiam, præterquam in Pomptino vidit & in Campania; quæ terra nigra eſt, ſimilis Ægypthiacæ, ſimilis Batavicæ, & illi terræ, quæ in provinciæ noſtræ partibus, inque meo agro invenitur. In talem aliamque terram excutit madefactas plumas hirundo, niſi ex foſſarum marginibus illam quærat. Plinius in omnes prope Romani imperii provincias, inque noſtras transque Amaſim poſitas terras venit, ſed credo de avibus eum, uti pleraque, ex obſervatione aliorum ſcripſiſſe. Æmilium certè Macrum, & Nicandrum poetam Græcum non dedignatus eſt conſulere in confectione libri decimi. Non creditus fuit de firmitate nidorum Ægypthiacorum, qui ab hirundinibus nidi innumero numero inter ſe connexi, molem evaguanti Nilo inexpugnabilem ad ſtadii unius ſpatium opponunt. Sed relata ejus veriſſima eſſe vidit & ſcripſit Belonius.

(24) *Verſu* 264. Nidum veterem reficientes conſulunt partibus maximè neceſſariis. Sciunt nidum pendulum periclitari in connexione ad trabem, utque hac ſcientia judicium, ſic memoriam admirabilem oſtendunt ad ſua opera poſt ſemeſtrem ſomnum reverſæ!

(25) *Verſu* 290. Ex hirundinibus albis, in terris tepidioribus aliquando viſis, migrationem earnm qui oſtendere conantur, refelluntur maximè ab hirundinibus Samiis, quas Ælianus ſcribit perſæpe candidas videri. Nullæ ſunt candidæ in vicinis inſulis, quarum aliquas tantum no-

Digitized by Google

nominavi, Thaſum Imbrum & Lemnum. Quod ſi avis alba peregrinari amaret, in iis certe Ægæi maris inſulis videretur. Dicit Aldrovandus albas fieri in terris auſtralibus, modo ova oleo olivarum intinxeris. Dicit Racinſcius Polonus ex nigræ matris nido, Torunii ad Viſtulam viſo, tres albos duosque nigros pullos evolaſſe. Atqui æquum illæ aves frigus ſenſerunt! non ne igitur veriſimilius aliam cauſam, quam frigus, canitiem in alitibus, ſicut in hominibus facere?

(26) *Verſu* 307. Litoreis in locis verſantes incolæ hujus provinciæ, teſtantur hirundines agreſtes & domeſticas perraro ſuper mare vel ad viginti paſſus volitare. Unde, quæ in inſulas venere, aut tempeſtate dejectas, aut nimis diu muſcarum nubem perſecutas fuiſſe, credibile eſt. Et ipſa hæc inſecta marinum iter non carpunt, niſi ventis impulſa, ex pinguis terræ, non ex maris aere tenui paſcenda.

(27) *Verſu* 315. Friſchius ornithologus Lipſienſis, ex filo rubro pedibus Hirundinis annexo, quod nullis aquis decoloratum revidit, mentiri judicavit Olaum. Felixque illud Friſchii oſtentum admiratur Guenaldus. Vide, quam levis ratiuncula a vero ſeducit vel illuſtriſſimos ſcriptores! Guenaldus ipſe ſcripſerat, Kirchernm Arctoas tantum hirundines mergere, cæteras eum arboribus & ſcopulis condere: in quibus & Saxonicas hirundines conditas vidit Georgius Agricola. Quid igitur Friſchii Lipſienſis facit obſervatio? propter eam obſervationem an Olaum Archiepiſcopum dicat mentiri? & quot innumeris propterea aliis affricat mendacium, interque eos Linnæo! quem ſe ſuſpicere & ut maximi ponderis

Digitized by Google

teſtem conſiderare ſcribit Guenaldus. Sed æqui ponderis teſtes tot Italos, tot celebres Gallos habet, qui ſub aquis patriæ nullas reperiere hirundines. Vel ſi in illorum patria reperiri ſub aquis poſſent, non æqui ponderis eſſent, teſtis inveniens, & non inveniens: quod ille de ſua aſſertione convictus, hic dubitans loquatur, quodque illi fides non niſi cum exprobratione mendacii, huic vel ab æquiſſimis detrahi poſſit, ſi non inveniens latentes, propterea levi ſententia, in longinquum ſcribat profectas eſſe.

(28) *Verſu* 327. Ovidius ſicut omnes Latini & Græci veteres Poetæ hirundines vocant domeſticas, quibus mento ſubeſt ſanguinis macula.

—— Tecta petunt, nec adhuc de pectore cædis
Exceſſere notæ, ſignataque ſanguine penna eſt.

Quæ nunc agreſtes vocantur, tecta pariter ſubeunt, tamque ſolenniter, ut ſint ſcriptores, qui Terei de conjuge natas domibus excludant. In quorum numero Aldrovandus, & Jacobus ipſe Kleinius, quem ut ſingulari diligentia & judicio ſcriptorem, honoris gratia haud aliam male avem noſſe, in verſibus meis dico.

(29) *Verſu* 340. Haſa amnis eſt Weſtphalicus, ab Eginartho in vita Caroli magni commemoratus, prope Meppenam Amiſeo confluens: in quo oppidulo cum puer apud Jeſuitas, tunc ibi domum & ſcholam habentes, Latinas literas diſcerem, & de ripariis hirundinibus didici, quod de iis in verſibus meis ut veriſſimum retuli, quodque nihilo minus non modo a maximi nominis ſcriptoribus, in dubium trahi, ſed ut rem incredibilem negari, dolens video.

(30)

Digitized by Google

(30) *Verſu* 342. Petrus Daniel Huetius Epiſcopus Abrincenſis, poſtquam de hirundinibus Gothicis (Sueciam enim adierat) idem quod Olaus ſcripſerat, de iisdem patriæ ſuæ avibus ita loquitur in commentario, quem de vita ſua ſcripſit. „ Nec non in noſtra Neuſtria obſer„ vatum eſt, intra concavas rupes, quæ Olenæ fluvii ripis adjacent, „ Cadomum inter & mare, hirundines immani numero in uvæ modum „ collectas, & conglobatas pendere è ſummo fornice per totam hiemem." Vide librum ejus operis II. pagina 98. Utque poetis fidem denegare omnes Gallos non putes, confirmat obſervata ſua Pedonis Poetæ veteris Verſiculo.

Conglaciantur aquæ, ſcopulis ſe condit hirundo.

(31) *Verſu* 348. Hirundines apodes, quas ob acutam vocem, quiritantes (Gierzwaluwen) dicimus, circa ultimos Auguſti menſis dies turribus & templis noſtris tanquam ablatæ videntur. Cumque domeſticæ & agreſtes ob mitiores auras differunt cælo decedere, ab attentiſſimis templorum & turrium accolis audio, apodes raro aut nunquam ultra diem ſuam in cælo videri.

32) *Verſu* 363. Æmilius Macer, Auguſtæi ſæculi poeta, de Avium cognitione ad exemplum ſcripſit Nicandri: qui eandam materiam apud Græcos, tantaque felicitate tractaverat, ut in Georgicis illum Virgilius, ſicut Homerum in Æneïde ſecutus ſit. Et Macrum id feliciſſime feciſſe teſtatur Quintilianus: quantaque hiſtoriæ naturalis amatoribus in perdita ipſius Ornithogonia jactura facta ſit, ex Ovidio, ſed potiſſimum videtur ex Plinio, & in Avibus, & in pleraque materia Macrum allegante.

Digitized by Google

Neque enim de Avibus tantum, ſed & de Serpentibus venenoſis, deque Herbis juvantibus ſcripſerat. Quæ vero de Avibus, carminibus videtur Hexametris ſcripſiſſe. Unica ſaltem, quæ de ipſius ornithogonia per injuriam temporis reliqua habemus, duo ſunt quantivis pretii Hexametra, ab Iſidoro Hiſpalenſi & a Servio, ſed varia lectione nobis conſervata, ſic vero, ut ſequuntur, legenda:

Cycnus in auſpiciis ſemper lætiſſimus ales.
Hunc optant nautæ, quia ſe non mergit in undis.

AN-

Digitized by Google

A N S E R.

Vatibus eſt odio clangore moleſtior anſer, (1)
Carmine, digna tamen, quæ celebretur, avis.
Vel quia dat pennas, veterum quæ carmina vatum (2)
Pelliceis ſervant intemerata libris.
Vel quia, defendens vigili Capitolia voce,
A Jove ſervato nobile nomen habet.
Vel quia condiſcit, quæ vix diſcenda volucri,
Ore molam viſus, vertere & ore veru.
Vel quia præcipuo dominum compenſat amore,
Gratus & ante omnes Anſer habetur aves.
Et quoque villarum cuſtodia dicitur ales,
Unicus exiguam Baucidis ante caſam.
Si de gente fera villaticus Anſer habendus,
Inde vides, veteri quam cicur arte fuit.
Et quod apud gentes tam priſco tempore viſum,
Arguit hunc domino præmia ferre ſuo.
Chortis aves omnes per præſtita vinceret Anſer
Commoda, ſi tam agris omnibus aptus erat.

Digitized by Google

Non bene enim ſiccis nec agris habeatur in altis,
Per cautes liquida quà meat amnis aqua.
Amnis & herbifero ſunt ſtagna ubi plurima fundo,
Inque paludoſis gratitet Anſer aquis.
Talis & eſt patriæ cum plurima villa per oras,
Talis villa tamen quam grege ſæpe caret!
Cauda virens faciat, ſpatietur ut omnibus agris,
Qui ſtrepero Pavus non nimis ore placet.
Atque ibi cum pullis non candidus ambulet Anſer,
Qui, quo diſpliceat, te tamen ore juvet?
Nam juvat, utque ſono (mox poſſe placere videbis)
Per ſua te pennis brachia ditat avis.
Cernis &, ut bifero plumoſa in corpore meſſis
Creſcit, Hiperboreo meſſis amica thoro!
Paſcitur exiguo per humentia gramina ſumptu,
Et tamen immenſum quot bona corpus habet!
Aſpice, brumali quam corpora cara macello!
Miſſa peregrinis nec leve munus erunt.
Et farto pomis, & latis ignibus aſſo
Anſere, quid melius menſa Novembris habet?

Lacte

Lacte iecur volucris diſtentum, ut ſpongia creſcit,
Et ſapit, & regum fercula prima decet. (3)
Sæpius hinc Romam Morinorum venit ab oris,
Et pede tam longum grex peragebat iter. (4)
Tardior ante alias procedere juſſa volucris,
Agmine propelli viſa ſequente fuit.
Quique Italis placuit tam Belgicus Anſer, ut eſca,
Carus erat plumis non minus ille ſuis. (5)
Ganza vocabatur, quo nunc quoque nomine Belgis
Dicitur, & populis Teutonis ora tuis.
Cognita res cunctis, & multo ſemper in uſu,
Nomen apud cunctos tempus in omne tenet.
Rarior Europæ reliquis in partibus Anſer,
Omnibus amiſit nomina priſca locis.
Alitis & nomen Germania forte Latinis
Præſtitit: Helveticum Ganſer & Anſer idem.
Quodque ibi nomen avi eſt, ſervatur ab anſere multo:
Ut fera quà ſedes & cicur ales habet.
Utraque gens eadem: ſed tempore plenior eſca
Majores cicures, vitaque pigra facit.

Digitized by Google

Utque ferus piſces, piſces amat altilis Anſer,
Haud oblitus, avis quam cibus almus erant.
Piſcinis igitur procul eſt, & habendus ab horto:
Omne tuum perdet per breve tempus olus.
Sed bona compenſant vitabile plurima damnum.
Anſere non careas, villula cui dat aquas.
Nam licet a furtis nihil & latrone timebis,
Pone fores, opus eſt, janitor ut ſit agro.
Vultus ubi non viſus adeſt, clamabitur abſens
Villicus, haud fruſtra clangere doctus avem.
Omne quod inſolitum tam ſentit, ut illius ipſas
Nuntiet examen fundere clangor apes.
Chortis & eſt cuſtos, præſente cui Anſere vanas
Muſtella inſidias accipiterque parant.
Si non ipſe juvat, monet, & ſua pignora circum
Compellit matres, voceque ſubdit opem.
Cingit & ipſe ferè pullos plaudentibus alis,
Præcipuè pullis ſi qua pericla ſuis.
Sed quamcunque juvet paſcendus, inutilis eſſet,
Sis niſi curator doctus & aptus haræ.

Cura

Cura gregem ſemper circumſtet plurima, ab ovis
  Incipiens, vetulas quæque ſequatur aves.
Ne tenues pigeat per carmina diſcere curas,
  Si tenuis cura eſt, unde parantur opes.
Pars avis eſt rerum, quas patria gentibus offert, (6)
  Nomen & unde, procul vix bene nota, facit.
Quisque aliquid præſtet, ſua terra celebrior ut ſit.
  Scripta damus, pennas & dare ſcriptor amat.
Contemptoque lucro tantum ut tua gaudia ſpectes,
  Oblectet vacuum ſæpius ales herum.
Notitiasque facit res, exiguiſſima quamvis,
  De quibus ad magnas ſurgere mente potes.
Nulla per hibernum tempus peragetur in agro,
  Quæ lux Anſeribus non bene tota datur.
Propria ſubjicies & pauca cubantibus ova;
  Quæ nunquam partu dent tibi plura novem.
Semper enim pariet, dum ſubtrahis ova parenti.
  Rectius hinc nidis illa relinque ſuis.
Non numerum excedet juſtum, ſua viſcera frangens.
  Quæque juvença parit, vix tria ſæpe dabit.

Veſpe-

Veſpere tentanda eſt ſemper parientibus alvus.
Nec prius, ac peperit, plena relinquat haram.
Quæque ſuum dederit numerum, non exeat ales;
Aſſueſcat nidis ut magis inde ſuis.
Si locus aptus haris eſt pluribus, una cubanti
Cuique datur, vili quam ſtruis ære, domus.
Flumine prætexta ſilvarum in margine, quàque
Prata vident, aptæ conſtituuntur haræ.
Sed tot haras loca quando negant, ſatis unica ſaltem
Ampla ſit, & nidos ſeparet illa ſuos.
Nidus enim invidiam timeat de matre propinqua,
Quæ tempus nimium dulce cubantis habet.
Quà ſinit ergo locus, nidos ſejungite, quàque
Non ſinit, invidiam non male vela cavent.
Sic velare tamen, nidosque locare neceſſe eſt,
Ne pede per tenebras obterat ova parens.
Tricenos plerumque dies avis incubat ovis,
Vere novo incipiens, aut genitura perit.
In tantum violavit avem cicuratio, vivax
Creſcat ut in morbis, vixque ſeneſcat avis. (7)

Cum-

Cumque nives ferus inter eat glaciemque boream
Pullus; in hoc ullum non ferat orbe malum.
Læſa malo quocunque perit, ſeu plumbeus aër,
Seu cibus aut noxam det leve frigus avi.
Optima quæque parens avis eſt provectior annis,
Quæque bene eduxit jam genus ante ſuum.
Illa, ubi ſelectu quærenda, bene ambulat, eſtque
Tarda minus reliquis, nec violata tacet.
Eſtque cubans ovis tam dedita, non ſit ut agri,
Nec prope ſit potus aut ſtudioſa cibi.
Villicus interea matris non immemor, omni
Sole dat & panem, quamque requirit aquam.
Ad quartumque diem miſeram deducit in agros,
Tempore quo nidum culcitra calda tegit.
Jamque ubi lux abiit viceſima pene cubanti,
Molliter & tepidis ova lavantur aquis.
Pullus, & inſpicies, num ſe commorît in ovis;
Quo minus haud cochleam ruperit ille ſuam.
Lotioque ovorum repetitaque terſio præſtat,
Exitus infirmæ mollior ut ſit avi.

Ova

Ova cubaturis, ſunt, qui vel & ante lavarunt.
Succeſſumque habuit res repetita ſuum.
Progenitis, pullisque novam ſpectantibus auram,
Prima dies prohibet, quæque ſecuta, cibum.
Tertia lux tenuem dabit, & ſiquando negarit,
Non nocet. Hinc mixtum farre juvabit olus.
Nata recens cum matre cohors non exit in auras:
Ad decimumque diem contineatur hara.
Emiſſisque foras non humida convenit eos,
Humida, nec frigens, aut ſine ſole dies.
Convenit urticis neque ſentibus area mordens:
Ut quæ mox tenero eſt exitioſa gregi.
Nil minus emiſſis, & haram ſervantibus abſit,
Quam quæ continuo pene bibatur aqua.
Far ubi per menſem tritasque objeceris herbas,
Hordea tum pullis granaque pauca dato.
Mox ſtomacho firmis & avenam & quælibet offer,
Cum grege ſpicilega dum ſpatientur agris.
Pinguior autumno, quo quisque eſt junior anſer.
Sex vincat libras pondere bisque decem.

Talis

Digitized by Google

Talis & hic quatuor florenis venditur ales.
Unde vides lucro quam ſit alenda tuo.
Paſcitur utiliter vel ad ultima fercla Decembris:
Tempore quo venerem fæmina ſentit avis.
Primaque poſt idus Jani noſtratibus ova,
Et primo pullis ultima Marte dabit.
Vili opus eſt eſca victuris tempore brumæ,
Area quos paleis nutriat una ſuis.
Addere confectas rapas, & agreſtia poma,
Et tua rejecit ſi qua culina potes.
Et reperit per agrum, per aquas, ſilvasque, repertum
Quod juvat, & cupidæ ſit cibus almus avi.
Sed cum bruma diem nebula contriſtat olenti, (8)
Omnis turba ſua contineatur hara.
Diſcitur exemplis, volucrem hinc ut peſte perire,
Contra, quæ plumas ventilat aura, juvat.
Non ſit avarus, avem qui paſcere gaudet, amator,
Nec gregis ille mares nec cito mactet anus.
Vivere ad extremum plures permittimus ævum.
Compenſant multo pabula ſumpta bono.

De-

Digitized by Google

Delectant dominum, lateri prope cujus inhærent
Ut canis; & comitem non grave laſſat iter. (9)
His ſenior tutela gregis, per & invia dux eſt.
Et ſua plus curat pignora mater anus.
Quærit uterque cibos, qua non avis altera ſperet,
Quaque alii pereunt, ſoſpes uterque fuit.
Sæpius & vetulis, quam vellas corpora pullis,
Vulſaque reſtituit ter tibi pluma cibum.
Deinde diu qui ſervat aves, doceatur ab illis
Ætatem, & mores, & mala, quæque juvant.
Anſer avis vivax, hominumque ſuperfuit ævo:
Teſtatur certa quod tibi fama fide.
Bis ſex Alberto ſua cognita vixerat ales
Luſtra, bis octo aliis cognita vixit agris.
Cujus agris quæris? Bavarus quos Iſara lambit.
Ipſa mihi oſtenſa eſt, tacta manuque fuit.
Eſt avis Inſubriæ longè vivacior oris.
Suntque libris teſtes Alderovande tuis. (10)
Hinc ſi tricenos infra tibi depperit annos,
Caſus avi infelix aut tua cura fuit.

Sitne

Sitne domi natus, ferus an vivacior anſer,
Qui rogat, interius noſcere poſcat avem.
Nulla magis volucrum pituitæ obnoxia, longam
Quod facit ad vitam, ſed quoque ſæpe necat.
Mitigat humores, pituitaque reddit inertes.
Rectè igitur notis utile quid ſit, habes.
Sufficit auxilium natura volatibus actæ,
Damnaque, ſegnities cui nocet, addit avi.
Aſpice, ſmegmaticus cicuri cinis uſque paretur,
Quo ſine ſæpe perit pullus & ipſa parens.
Nil ſervat, recreatque feros, qui ſemper ad Arctum
Indeque, bis feſſi, corpora tarda vehunt:
Quique nives inter ſua corpora paſcere juſſi,
Dant ſibi perrarum difficilemque cibum;
Dant ſimul & ſoboli, quæ duriter, altaque parcè,
Mox longum teneris viribus audet iter.
Vix finem ſextilis habet, ſuper aëra ſurgunt,
Noſque idus circa menſe ſequente vident. (11)
Non ſolos juvenes, ſolamque venire ſenectam,
Utraque nos ætas de grege capta docet.

Tamque ſenex capitur, centum oſſeus anſer ab annis,
Ut cibus impaſto vix queat eſſe cani.
Sunt nervi pectus, caro nulla per omne videtur:
Hirtaque longævo tergore pluma riget.
Vultus & ætatis ſunt triſtia lumina ſignum.
Moeror & iratus lumina moeror habet.
Fert ſortem juvenis, data pabula ſumit; haræque
Aſſuetus, cicures gaudet in arva ſequi.
Sed ſenior commiſſus haræ, moerore fameque
Mox perit, & ſociis terror & hoſtis adeſt.
Eſt enim, ut omne animal quod fert mala, mente feroci.
Ærumnam in cunctis vindicat ille ſuam.
Forte & avem triſtemque facit tetricamque ſenectus.
Mens hilaris pulli, quod mala lenit, habet.
Voce pari lætatur hara, & cum prodit in auras:
Utque cicur, natitans, cum cicurique coit.
Deque ovis paribus pullos produxit, in agris
Haud procul a noſtris, quosque Groninga regit.
Eſt in Cheruſcis locus udus, & adſitus Albi,
Anſer ubi innumeras paſcitur inter haras. (12)

Cum-

Digitized by Google

Cumque ſub autumnum numerus per aquatica magnus
Prata ſonat, gregibus jungitur ille feris.
Tamque bene inter ſe diverſis convenit illis,
Omnis hara ut cicures augeat inde greges.
Per breve tempus hara ſervatur, & advena lautè
Paſcitur. eſt, ala qui quoque mulctat avem.
Sufficit ad multos vel amor vel & eſca tenendos:
Agmina nec curant, vere reverſa, ſequi.
Bis genus, ut Zinanne doces, ferus educat anſer:
Datque, doces, partus ſingulus ova decem.
Sed duo eunt menſes, det ut ova, excludat & anſer,
Mater enim alterno non niſi ſole parit.
Utque domi natam per cuncta imitatur, ad ovum
Lux quoque poſcetur tertia ſæpe novum.
Tardius & forſan gelida parit ales in aura,
Tardius & rumpi forſitan ova videt.
Utque juvet pullos, videatque volucribus alis,
Bini iterum menſis tempora poſcet avis.
Non video ſpatium, quod ad altera pignora reſtat:
Grandia quæ certè non nova cernet hiems.

Si tamen, imprimis credi ut Zinanne mereris,
Bis Appennino, bis & in Alpe parit:
Non facere hŏc volucrum poterit pars maxima, partus
Cui vetet Arctoo frigus in axe novós.
Scilicet Arctois pars maxima provenit oris:
Denſior incaſſum nec data pluma fuit.
Magno ad nos numero, lato numeroſa ſub axe,
Gens nec & una ſono, parque colore venit.
Eſt neque pondus idem: ſpecies ego quinque notavi.
Omnis ſed gelidis gens venit orta locis.
Sternit turba lacus, hiememque morata per omnem,
Colligere eſt, pretio quam ſit habenda levi.
Cum volucris noſtras adit, aut prætervolat oras,
Ruſtica gens humilis ſpectat an alta volet.
Et bona gens hiemem de lato pectoris oſſe
Prævidet, & ſignum certius eſſe negat.
Tota per oſſa rubor longum fore frigus & acre:
Lene gelu & brevius candor in oſſe notat.
Quod nihil augurium eſt, negat omnis docta vetuſtas.
Aëris & vires oſſa per ima meent.

Sed

Sed fallare licet, modo det convivia, prodeſt.
Annua Martini lætior inde dies.
Certius eſt certo, patriam repetente boræam
Anſere, non glacies, non revidetur hiems.
Aura levis zephiri quæ prima perambulat Arcton,
Sentitur volucri, fit via, clangor, eunt.
Littera longa avium ſummum per inane videtur,
Quæque viam, clangens, nocte dieque facit.
Sæpe fit, una gregem volucris quod in æthere linquat.
Paſcua quæſitum fertur & ire lacus.
Sed gregis unde ſui releget veſtigia cælo?
An prope condictis grex manet omnis aquis?
Scitne, ſibi cognatus ubi grex hæreat alter?
Deſerere hanc comites verius eſſe reor.
Pacifica eſt volucris, neque multo prædita ſenſu,
Saltem ſub vitæ tempora prima ſuæ.
Junior & cum ſit, non agmina cognita tantum,
Sed ſequitur ſimiles quos ſibi cunque videt.
Non tamen & Brantis cælo aut Vulpanſere juncto
Gaudet. Congeneres provolat inter aves.

Digitized by Google

Agmina grex natitans admittit aquatica quævis,
  Participeſque ſui gaudet habere cibi.
Lenis hiems ſervat volucres ad ſtagna lacuſque,
  Sævior ad noſtro litora pulſa mari.
Litoraque ex pingui terra cum muniit agger,
  Inde, vel æquoreo munere vivit avis.
Si tamen aggeribus junctum mare congelat, ut ſit
  Non ſemel; auſtrales viſere gaudet aquas.
Retibus ut vivæ, captantur & alite ferro,
  Præda ſed ex cæſa vilis habetur ave.
Scilicet arvinam ſapit immittenda culinæ,
  Et vix ſervitiis apta ſit eſca tuis.
Præſtiterit vivas cepiſſe, & farre repaſtas
  Poſt aliquot menſis appoſuiſſe dies.
Quod memorans cogor dubium tibi triſte fateri,
  Tam vivax quod avis juſſa perire facit.
Poſcere jure animam poteris, cui longius ævum
  Lætius & forſan quam tibi Parca dedit?
Poſcis & hoc ob vile lucrum, quod ad unius horæ
  Gaudia momentum ſit leve, ſi qua facit.

Sub-

Digitized by Google

Subdita quondam homini teſtans animalia, noſtras
Laudavit vires ingeniumque Deus.
Sed rex conceſſis bene viribus uſus, ut omnis
Subdita ſit felix ſalvaquè turba, facit.
Non a ſubjectis animam, nec ab hoſpite poſcit,
Rex ut Cannibalum, quem ferus orbis alit.
Vis, age, ſi qua jubet, liceat te ſanguine paſci.
Non jus hoc ludus, nec bene luxus habet.
Conceſſiſſet enim lex numinis æqua, ferocem
Quod faciendo, minus te ſinat eſſe bonum?
Averſo quod quisque animo facit atque rebelli,
Una ferè vitii certa mihique nota eſt.
Quis primum gaudens animam, quis ſponte trucidat?
Inſitum erat teneris mentibus, eſſe pium.
Sed mox, exemplis & conſuetudine, fuſo
Attonitos ſenſus ſanguine nullus habet.
Mox quoque ridiculum eſt, quod, ut a bonitate pro-
Utilius noſtris mentibus eſſet ali. (fectum,
Non miſerante animo lanionem vidimus ullum.
Par agit in ſilvis turba Diana tuis.

Multum animo rapitur, quoties miſeratio rapta eſt.
  Juncta quod hæc variis dotibus una bonis.
Aut homines inter quod ſanctum ducis, inane eſt,
  Aut vetitum, bonitas quod vetat, eſſe puta.
Num tamen interea non ſanguine veſceris, inquis?
  Veſcor, ut autoſophi mens mihi prorſus abeſt.
Nolle parum docili conſenſu accredere turbæ,
  Dat male nati animi difficilisque notam.
Et vis eſt, ſervos quod vivis & inter amicos.
  Quos, plus quam miſeras cogor amare feras.
Quà licet ergo, ſequor placitum commune, meumque.
  Lumina & abſtineo cædibus uſque manus.
Naturaque feras ſpectans ſibi ſæpe nocentes,
  Pene tamen vetitis veſcor ut inde cibis.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

(1) Dictum eſt Palladii: Anſerum lætamen ſatis omnibus inimicum. Quantumque poetis diſplicuit, intelligitur ex epithetis ab iis anſeri non benignè datis. Ea nimirum apud veteres talia. Clamoſus, ſtridens, garrulus, raucus, & improbus. Sed ſicuti præ omnibus ejus voci infeſtus eſt Virgilius, ſatis anſeri placabilis invenitur Ovidius. Nunquam avem depreſſit, nec ſemel etiam a voce vigili, præcipue tamen ob mores laudavit. Quibus ita videtur captus fuiſſe, ut Inachidi, cujus Ægypthiacæ Deæ feſto die anſer immolabatur, invidiam propterea hoc diſticho fecerit.

> Nec defenſa juvant Capitolia, quo minus anſer
> Det latus in lances Inachi lauta tuas.

Cumque Dis hoſpitibus a Baucide & Philemone minimæ villæ cuſtos immolandus eſſet, Deos ſcripſit parcere avi juſſiſſe. Verum ne Virgilio credar vitio vertiſſe, quod anſeri minus benignus exiſtimetur, improbus, quo epitheto in Georgicis deſignatur, non ſignificat, quod malis ſit moribus: ſed quod improba, id eſt, impenſa natura ovet, clamet, voret & quodvis exſequatur.

(2) *Verſu* 3 & 4. In Anſere meo jam ante XII. annos ſcripto & typis vulgato diſplicuit, anſerinis me pennis adtribuiſſe conſervationem poetarum veterum. Uſus quidem pennarum ad eorum tempora referri non poteſt, ſed ſuperſtites eſſe per codices pelliceos Anſerinis pennis ſcriptos, non eſt quod dubites. Nam ſi ante Caroli Magni tempora earum pennarum ad ſcribendum uſus invaluit, uti plusquam veroſimile

Digitized by Google

fecit Hermannus Hugo, poeta, & antiquitatum ſcriptor ſcientiſſimus: ſi ab IX. ſæculo pellicei codices, quot quot habemus, anſerinis pennis ſcripti ſunt, veterum ſcriptores plerique per eas ſervati videantur. Quid ſi vero ego, veroſimile faciam, pennarum anſerinarum uſum multo antiquiorem videri debere. Satis notum mihi fuerat, quidquid de ſtylis, deque arundineis calamis operoſè oſtenſum fuit. Hujus notitiæ plane expers cenſoribus meis videri non debuiſſem, qui Herculanenſes non modo libros, ſed & ſtylos & calamos, magno numero repertos, in loco vidi. Nihil pennarum ibi repertum. Itaque inſtrumentum ſcriptorium eſſe quod poſſent, Herculanenſibus Titi cæſaris tempore incognitum fuerit. Sed militibus Romanis in omni Belgio tanto numero verſantibus diu earum uſus incognitus fuiſſe non potuit. Calami arundinei pennarum & forma craſſitudine, ſicut pennæ, ſecabantur, & ſicut illæ in acumine findebantur. Titi cæſaris tempore Romani, ad jam prope centum annos in Belgio verſati, quatenus uſum, qui ex anſeribus fieri poſſet, intellexerant, ex Plinio percipiatur. Plumis non modo ad thoralia, ſed jecore & palmis pedum ad delicatiſſimos cibos, hodie ignotos utebantur. Tamque earum avium cupidiſſimi fuere, ut militum præfectis nihil ſæpius crimini eſſet, quam Anſerum rapina, totis cohortibus ad hæc aucupia demiſſis, ut Plinii verbis utar. Quid ni igitur perſpicaciſſimi illi prædones mature intellexerint uſum ex alarum pennis, magis viſibilem, quam quem ex palmis pedum jam Tiberii Cæſaris tempore invenere. Eæque ciborum delitiæ tam deſiderabiles non erant, quam ſcriptura, omni propè militi, ne dicam præfectis neceſſaria: quos inter eruditiſſimi ſæpe viri, primo ſaltem ſæculo, fuere, uti memoria docet Germanici, Pedonis, Gætulici, Taciti & ipſius Plinii. Omnes illi, & quot non alii! quorum nomina poſſem oſtendere, non ad tempus breve, ſed in Germania pluribus annis reipublicæ cauſa poſiti fuere. Eosne uſum, qui ex anſerinis pennis fieri poſſet, difficulter cre-

credis intellexiſſe? uſum certe viderint eo citius, quod arundinei calami ad ſcribendum habiles ex ultima Ægyptho petebantur. Et ſi primoribus neceſſaria copia affuerit, in tot militibus, quotidie ſcribentibus, nonne egeſtas acuerit induſtriam? nec tamen uſum pennarum Plinii tempore oſtenſum aut communem fuiſſe, velim ut credas. De iis aliquam dediſſet notitiam, qui de arundineis calamis tam ſcripſit ſollicitè. Sed intra quadringentos annos, perpetuo quibus incolatu Belgium omne & vicinam Germaniam tenuere Romani, inventum fuiſſe pennarum ſcriptoriarum uſum, videor affirmare me poſſe. Certum eſt, Romanos ſcribendi ſcientiam Belgis oſtendiſſe. Eadem hodie, qua iſtius ævi Belgæ, utimur lingua. Omniaque vocabula, quæ aliquem cultum, vitæque commodioris uſum ſignificant, ab Romanis linguæ noſtræ conſtat addita fuiſſe, quod earum rerum anterior uſus barbaris atavis nullus fuerat. Ex antiquiſſima lingua intelligimus, quantum victoribus noſtris ex ipſa illa ſervitute debeamus, quam tam inviti ſubivimus, tamque ſæpe intoleranter tulimus. Rudes omnium bonarum rerum, & ad feritatem uſque inculti, qui longas noctes noſtras nullo lumine illuſtravimus, ſicuti ab iis lampades, cereos, candelabra, ab iis, accepimus, quid quid ultra ferinam vitam hominibus fuit neceſſarium. Goroppius Becanus linguam noſtram ut antiquiſſimam terrarum haberi deberi oſtenderet, immenſa eruditione ſua fortè abuſus fuit: ſed perveterem & prædivitem eſſe, nullus ſit, qui neget. Ei linguæ certe olim defuere, quæ ab Romanis addita ſunt vocabula, ſonuſque & ſcriptura earum vocum Romanam originem unicuique indigitant. Ex iis igitur vocabulis, quæ multa numero ſunt, & ſæpe me ad majores noſtros reſpicere juſſerunt, ex iis, inquam, ſicuti videmus a Romanis nos ad ſcholam & ad templa perductos fuiſſe, ex iis intelligimus nos ſcribere a Romanis & ſcribere pennis didiciſſe. Nam ſi ante eorum adventum aut ſcribere aut alio ſciviſſemus ſcribere inſtrumento, lingua tam dives, tamque caſta oſten-

oſtenderet ab ore Belgico natum vocabulum. Sed *ſcribere penna*, *papyrus*, uti Romanam in noſtra lingua originem, ſic nullum ſynonimum oſtendunt. Verum eſt igitur, non tantum vero ſimile, nos a Romanis uſum ſcribendi pennis accepiſſe, qui nos paulo poſt Honorii imperatoris ſæculum deſeruere. Et antiquiſſimus Virgilii codex, in Medicæa Bibliotheca ſuperſtes, paullo poſt Honorii tempora ſcriptus, nonne penna ſcriptus videatur? certe ſtylo exaratus non fuit. Stylo delebili ceræ, nunquam membranis inſcriptum fuit. Neque calamo videri poteſt Ægypthiaco exaratus; cujus acumen rigens (nequaquam flexile) pertenues illas exarabat literas, quas in codicibus Herculanenſibus vidi. & quæ in Virgiliano codice jam tenues, jam ſpiſſæ, veluti literæ a penna flexili exaratæ ſunt. Conſule codicem Florentiæ anno hujus ſæculi XLI editum, in cujus præfatione Fogginus tres Virgilii verſus ære faberrime ad verum exemplar exſculptos dedit. Inuenies in tam paucis lineis literas omnes nunc graciles, nunc ſpiſſas, nunc ſpiſſiſſimas, prout flexile acumen pennæ illas magis aut minus membranæ impreſſit. Ab arundine rigido, & ſi flecteretur, frangendo, ea literarum inæqualitas fieri non potuiſſet. Neque ferreo aut æreo ſtylo effectum putes, quod literæ codicis Medicæi membranam inediſſe videntur. Atramenti virus hoc feciſſe, in omnibus aliis Veterum pelliceis codicibus, res eſt ab antiquariis omnibus bonis intellecta. Stylus igitur & arundo ſi Virgiliani codicis iniquiſſimas literas non exaravit, quid reſtat, niſi anſerinis pennis Romæ ſcriptis fuiſſe? & ſcriptas a Turcio Rufio Aſterio Aproniane, qui una cum Præſidio Romæ conſulatum geſſit anno Chriſti CCCCXCIV.

(3) *Verſu* 3. Jecur anſeri exemptum lacte mulſo augeri, legitur apud Plinium. Sed lac quodcunque, cum mulſum ſit, antequam merſum

ſum in ſuo latice jecur extendat, aliqui Plinium ſcripſiſſe putant lacte *recens* mulſo. Sed iſtud recens magna additio, neque tepidum, an aliquamdiu mulſum fuerit, videtur ad extenſionem Iecoris multum feciſſe. Plinium igitur ſcripſiſſe exiſtimo: *lacte & muſto augetur*, neque dubitarem, quin ea recta ſit lectio, ſi primum lacte, tum muſto immerſum jecur augeretur. Anſeres occiduntur, quo tempore muſtum in vitiferis terris habetur. Verno autem tempore, quo muſtum nos accipimus, anſeres ad cibum inepti ſunt. Debet igitur in aliis, quam in noſtris locis probari divinatio mea.

(4) *Verſu* 42. Morini, ex quorum regionibus anſerum greges pedibus iter Romam uſque confecere, & qui hominum extremi Plinio dicti ſunt, non alii, quam qui nunc Flandri & noſtri Zelandi ſunt. Vidi Medioburgi in Valacria, quæ nunc inſula, mappas Géographicas, ſæculo duodecimo pictas, quæ Zelandiæ terram, non modo majorem longèque aliam, quam nunc eſt, ſed Flandriæ continentem oſtendebant. Quod terrarum abeſt hodie, mari merſum fuit, quodque ſupereſt, tumulos ſepulcrales, multaque alia Romanorum veſtigia & reliquias oſtendit, nec minus terram oſtendit anſeribus alendis aptiſſimam, perſimilem noſtrati, in qua tot anſerum greges aluntur. Sed operæ pretium adjicere Plinii verba, iſtud longum ex Morinis iter breviſſimé deſcribentia. „ Mirum in hoc alite a Morinis uſque Romam pedibus venire: feſſi „ proferuntur ad primos: itaque cæteri ſtipatione naturali propel-„ lunt eos."

(5) *Ver.*

Digitized by Google

(5) *Verſu* 46. Quam carus Romæ anſer ob plumas fuit, docet iterum Plinius „ alterum, dicens, vectigal in plumis (ſcripſerat enim „ prius de earum in cibis utilitate) mollior quæ corpori quam proxima, „ & è Germania laudatiſſima. Eoque delitiæ proceſſere, ut ſine hoc „ inſtrumento durare jam ne virorum quidem cervices poſſint." Male hunc locum intellexit Belonius, avium ſcriptor Gallus: inde cervicalia oſtendens tantum Romanis plumea, non culcitras & plumeos thoros cognitos fuiſſe. Sed ſi præter Plinium, Veteres ſcriptores, præcipue legiſſet poetas, vidiſſet non modo plumeos thoros, ſed & plumeas veſtes in uſu fuiſſe, quæ neque nunc, neque Franciſci regis ſæculo Gallis cognitæ ſunt. Sicuti vero Gallis plumeithori cognitiſſimi ſunt, cervicalibus tamen ex lana bene pexa ad ſalubritatem utuntur. Quod & Romanis ob eandem cauſam placuiſſe ante Plinium exiſtimes. Sui vero temporis viros exagitabat, mollitiem ſalubritati præferentes.

(6) *Verſu* 83. Pennarum & plumarum anſerinarum exportatio ultra centum mille florenos provinciæ noſtræ importat, uti a dignis fide accipio. Urbiſque noſtræ mercator, qui pennas tantum Britannis communicat, ad coëmendas eas X mille florenis utitur. Quod vero in pentametro de merce patriam celebrante diximus, non eſt ita ridiculum, quam leviter rem intuentibus viſum fuit. Addit urbibus celebritas, quod unicuique nobilitas.

(7) *Verſu* 118. Licet proverbium ſit, conſuetudinem alteram naturam fieri. Cicuratio Anſerum ter mille annis vetuſtior, nihil aves juvare

Digitized by Google

vare videtur, ut ideo ad annos ipſis a natura conſtitutos perveniant. Et quin noſtra a priſca hominum longævitate degeneratio eaſdem cauſas habeat, nullus dubito.

(8) *Verſu* 171. Andræas Engel in Annalibus Marchicis pagina 395, anſeres, prope Brandeburgum ad Spream, ex olenti nebula teſtatur omnes periiſſe. Nihilque magis iis noxium eſſe ſcribit Joannes Colerus, qui multa egregia de anſerum cura habet in iſtis ruſticis libris, quos ſuperius laudavi. Cumque pituitoſum animal ſit anſer, nebulam gravem huic nocentiſſimam eſſe debere, res eſt ex facili credenda.

(9) *Verſu* 180. Procurator coenobii Benedictini, quod ad XII leucas Oeniponte diſſitum in Bavaria vidi, indicavit mihi inter anſeres ſuos aliquem ita ipſius amantem, ut in longiſſimis ambulationibus, quos tantum non quotidie faciebat, comes nunquam deficeret, ſæpeque voce & extenſo collo oſtenderet, quantum ſocietate domini ſui gauderet. Plinioque teſte, poteſt & anſeribus „ ſapientiæ videri intellectus „ eſſe; ita comes perpetuo adhæſiſſe Lacydi Philoſopho dicitur nusquam ab eo non in publico, non in balneis, non nocte, non interdiu digreſſus. Argiſque dilecta forma pueri, nomine Oleni, celebris anſer fuit."

(10) *Verſu* 196. Teſtes iſti apud Aldrovandum ſunt celebrati nomi-

minis viri, Cardanus ſcilicet & Gulielmus Gratàrolus. Cardanus diu avium nullis longævitatem adjudicaverat. Sed cum anſerem ſilveſtrem, tribus perpetuis diebus excoctum, non potuiſſe emolliri, canibuſque objectum manſiſſe intactum vidiſſet, ſe mutaſſe ſententiam ſcripſit. Neque mutatæ ſententiæ rationem levem habuit Aldrovandus, avi longævitatem nequaquam denegans, ſed Gratarolo, qui anſeris vitam ad ducenteſimum annum porrexerat, neque juranti ſcribit ſe crediturum eſſe; incredulitatem illam nulla fulciens cauſa, quam tamen me vidiſſe exiſtimo ex multa operum ejus lectione. Gratarolus, medicus Bergomas ad Lutheranos defecerat, quod *Aldrovandus* hoc tempore vivens Gratarolo condonaſſet. Sed populariùm ſuorum, præcipuè magnatum opinioni, & tempori inſerviens, conterranei, hominis transfugæ, fidem elevando, prudentiam eſſe duxerit. Eo enim ingenio fuiſſe, non ex illo ſolo loco oſtendi poſſet. Gratarolum vero ut noris, ob ſcientiam & ſcripta maximi apud Thuanum æſtimatur. Ejus ſcripta nunquam ad meam, neque in publicam urbis bibliothecam pervenere: inter quæ notabilis argumenti videbuntur iſta: de memoria reparanda, augenda, ſervandaque. De prædictione morum, & hominis naturæ ex inſpectione partium corporis. De regimine iter facientium, nave curru, equitum & peditum. Multa præter hæc alia ab ipſo ſcripta enumerantur, ſed nulla titulo ornithologico. Neque Aldrovandus adnotavit, qua inductus ratione anſeribus ducentos annos vitæ adtribuerit. Sed ejus temporis vitam avibus aliquot denegari non poſſe, poſterior docuit experientia. In foſſis Delphos, urbem Batavam cingentibus, cycnus ad ducenteſimum annum pervenit. Intraque quod jam præteriit decennium Legatus Batavus e Suecia ad Haganos Patres ſcripſit, Aquilam ibi tum captam fuiſſe, quæ inter aves venatrices fuerat Frederici Henrici Arauſiæ Principis, quem anno conſtat quadrageſimo octavo prioris ſæculi vivere deſiiſſe, nomen veteris domini in teſſera avis pedibus an-

annexa inventum fuiſſe. Adde annos huic aquilæ, quos apud Fredericum tranſegerat, quoſque habere potuit, in ejus poteſtatem deveniens; ad cycni Delphenſis ætatem quod acceſſerit, videbis. Anſerque quominus aquila aut cycno minus vivax habeatur, me judice nihil ſit, quod obſtet.

(11) *Verſu* 216. Anſeres boreales in noſtris terris ſæpius poſt, quam ante Idus Septembris videntur. Anno octuageſimo tertio ad dies octo ante eas idus mihi & omnibus viſi ſunt; hiemſque, quod notes, duriſſima illa ſecuta eſt. Autumno autem præcedentis anni circa initium Octobris primi advenæ ſunt viſi: hiemſque jam vergens ſatis mitis, per omne ſuum tempus anſeres in noſtris lacubus habuit, ſic ut die Januarii viceſimo, greges literali agmine per cælum huc illuc volitantes viſi & nocte auditi ſint, quod media hieme raro obſervatum. Autumnales advenæ per tres ſeptimanas cælum noſtrum pervolitantes videntur. Quod ſi autem ſolito ſerius veniunt, intra duas tantum transfugæ obſervantur. Tempore Belonii iſti advenæ non violabantur a Gallis, quoniam cicures & ad dominum pertinere habebantur, quod ignorantiam & ſimplicitatem populi, ſed amabili probitate conjunctam, oſtendit.

(12) *Verſu* 238. Iſta terra (in Cheruſcis poſita) quæ altiles greges feris advenis auget, Joanni Colero libro XIII, Hamburgum inter & Luneburgum ſita eſſe dicitur, & Marſatica vocari. Quo nomine veteres Germani paſcuam & paludoſam terram deſignabant. Sic Marſatos Tacitus in Veſtphalia, & in aliis Germaniæ terris alii ſcriptores alios Marſatos invenere.

Hiſce ſuper Anſere a me, jamque per typographum deſcriptis, allatus eſt Anſer a Guenaldo recens deſcriptus: virumque facundiſſimum vidi eadem

dem

Digitized by Google

dem de ejus pridem cognita utilitate, facili & vili nutricatione, eadem de indole & ejus moribus, deque memori erga hominem gratitudine, quæ & a me adducta ſunt, referre. Vindicat etiam cibis deſtinatum Anſerem a tortura, barbaramque & homine morato dicit indignam, illicitam igitur & deteſtabilem. Adſtruit vero, quod ego adſtruere non auderem, antiquam ejus cum homine familiaritatem minus, quam Gallinacei generis, antiquam eſſe. Idque adſtruere videtur, quod minus feram Anſeres naturam, quam Galli & Gallinæ, amiſere; quodque verno & æſtivo tantum partu, ut cæteræ aves, non perenni & prope continuo, ut Gallinæ, commodis noſtris inſervire docti ſunt. Sed perennem eam fœcunditatem nonquid naturæ ſuæ debent Gallinæ? Sunt in aliquibus Indiæ locis & aliæ continuo parientes aviculæ, ſunt & in America; quod ab educatione & cibis, tepidisque noſtris hibernaculis non habere videantur Gallinæ. Anſeremque videtur nimis deprimere, eum ad cycnum, veluti aſinum eſſe ad equum declarans. Nihil habet aſinus de Anſeris bonitate, nihil de ejus viva & memori erga hominem amicitia. Intelligentiaque, & relata ad uſus noſtros utilitate longè cycnum ſuperat. Nec tantum cycno deformior mihi videtur, quantum aſinus equo. Quod vero Guenaldus nequaquam mihi & noſtratibus univerſis perſuaſerit, feros Anſeres, a boræis regionibus ad ſtagna noſtra per hiemem transfugas, ad interiorem dicit Africam, Bonæque Spei promontorium pervenire. Negant id ſinguli noſtratium, qui in iſta noſtra colonia, inque terris ejus interioribus ævum propemodum exegere. Neque Anſerem Ægypthiacum, quem Sanleci haud procul Pariſiis dicit captum fuiſſe, ex Ægyptho credibile eſt provolaſſe, ſed ex noſtratibus aut Anglorum ſepibus. Transferuntur enim & a Nilo & a Bonæ Spei promontorio ad noſtrates ſepes Anſeres plurimi. Anatem Guinæam cum conjuge octoginta florenis emptam, alis male mulctatam, ex amici Batavi ſepibus fugam hoc ipſo vere vidi carpere, tamque alto euntem cælo, ut intra breve tempus non modo Sanlecum, ſed & in ultimam Galliam pervenire poſſe mihi viſa fuerit. Peregrinari aves nimium putat Guenaldus, transfugaſque veras in nimis ſæpe amota loca amandat.

RE-

REGULUS.

Regulus in noſtris avis exiguiſſima terris, (1)
Sive, per antiphraſin nomina regis habet,
Sive joci cauſa minima eſt ita dicta volucris,
Seu populis, regum queis grave nomen erat:
Libertatis amans, infeſtaque terra tyrannis,
Regis avi nomen Græcia prima dedit.
Utque memor populus data nomina regis amaret,
Quæ valet ad populum fabula ficta fuit.
Inter aves regnum cum nempe vacaſſet, & æquum
Jus genus alituum crederet eſſe ſuum;
Altius ad Superos regnum promiſit eunti
Jupiter: omnis aves ſpes fugit unde graves.
Cumque ad certamen pauciſſima turba veniret,
De minimis Trochilo ſpes ſuper una fuit.
Pone aquilam erecta ſtetit inter gramina cauda,
Parvaque res per ſe, tectior inde fuit.
Cumque miniſtra Jovis de terra exſurgeret, alas
Expandens, latæ terga premebat avis.

Digitized by Google

Utque latens oculos, aquila ſentitus ab ipſa
Non fuit, aërias dum ſecat illa vias.
Cumque propinqua ſitis ſummo æthere venerat aſtris,
Et reditum ad victas illa pararet aves;
Subſultu exiguo ſe Dîs oſtendit, & armos
Vectoris Trochilus mox premit inde ſui.
Jamque fatigatum ſua terra receperat agmen;
Vita fatigatis pene ſuperſtes erat.
Spiritus armigeram Jovis haud defecerat omnis:
Sed Trochilum regis nomen habere videt.
Jupiter æquus erat; neque gens, quæ poſtera venit,
Detraxit merito nomen ab arte datum.
Plinius, & Latium Græcis ſcriptoribus omne
Aſſenſit. Latias rex fuit inter aves. (2)
Omnibus & populis, quorum modo cognita lingua eſt,
Regulus Europæ dictus in orbe fuit. (cavit,
Quodque Europa vetus volucrem, ut modo noſtra vo-
Per ſenis Alberti ſcripta legenda vides. (3)
Rex prope non fuerat de nomine certior ullus,
Quum cui illud veteri fabula jure dedit.

Digitized by Google

Et tamen inventus, volucris qui nomen avitum
In neque cognatam tradere niſus avem
Parvula avis viſa eſt, raris erratica ſilvis,
Inque quibus nata eſt, vix bene nota, locis.
Aſſimilem paris, quibus aurea vitta per alas,
Moribus aſpectis congeneremque putes.
Sed quia parva avis eſt, ſtriaque aurea vertice quicquam
Regis habet, dicta eſt regulus eſſe vetus.
Non venit in mentem, quod parva volucris Achivûm
Dotibus ingenii nomina regis habet.
Ars Jovis armigeræ vires, & amabilis aſtus,
Non vicit, parum quæ ſtria vana decet.
Omnibus & terris accepto nomine, nota,
Non donata avis eſt, quæ vel ubique latet.
Cantat amabiliter Græcorum regulus, author
Quod Philomela tuus zinzizulare vocat.
Alter ſolivagus, neque dote celebris ab ulla,
Tam prorſus cantu, quam prope voce caret.
Tamque carens cantu, donatur nomine, cantu
Quod, velut ingenio, noſtra tuetur avis.

Orchilus in numeris Cilicis vocitatur Arati:
Niligenis Trochili nomen in ore fuit.
Et quoque Trochloditen dialectus Ionica dixit.
Cætera ſed regem Græcia fecit avem.
Linguaque poſt omnis nomen quod adoptat Achæum,
Ante oculos primùm res quaſi mira venit.
Sed latè Europam peragravit lingua Quiritum,
Et dederit populis nomen ubique ſuum.
Resque minus mira eſt, ſi fabula juncta popello,
Tamque prius notam nobilitavit avem.
Nota minus, populoque ſemel conſpecta per ævum,
Nomine communi non celebranda foret.
Ex facili contra nomen commune recepit,
Quæ plus quam regno rex propè nota ſuo eſt.
In ſe oculos quoscunque trahit, totiesque reviſa,
Non ſine conſpectu viſa ſequente fuit.
Moribus & propriis lingua dignoſcitur omni,
Nomine avis quoties non manifeſta ſuo eſt.
Parva avis ad Nilum Crocodili perſilit ora.
Dicta licet trochili nomine, nota fuit.

Nulla

Digitized by Google

Nulla minus velox ſtet in illo tuta periclo
Sola evaſuram ſe fore ſperet avis.
Orchilus ante canit lucentes ſole feneſtras,
Caudam agitans, minimam quam leve corpus habet;
Sed, ſimul imber adeſt, ſibi proxima fertur in antra.
Quisquis & hinc volucrem norit Arate tuam.
Illa ſed aurato quæ virtice, cætera parus,
Oſtendi populis rara nequibat avis.
Utque ideo nequiit manſuro nomine dici:
Sic, quibus aſpecta eſt, rex neque dicta fuit.
Civis ut obſcurus de veſtibus, eſt, ubi ſilvæ
Incola, de veſtis dicta colore ſuæ eſt. (4)
Pluribus in terris vix nomine nota: mihique
Viſa ſemel noſtris, credita parus erat.
Nec merita eſt factis aut moribus, unde vel ipſe
Qui regem fecit, pingat & ornet avem. (5)
Rex contra verus, morum monumenta ſuorum,
Gentibus, & tempus pene per omne, dedit.
Oppida ſæpe quidem volucris, populoſaque viſit.
Frigore præcipuè ſi qua fugatur agris:

Digitized by Google

Sed ſemel hanc populis urbs confertiſſima Roma,
Fataque portantem Roma videbat avem. (6)
Laureolam ore premens Pompeii ſedit in æde,
Cæſare, Pompeii, qui ſuperatus erat.
Dumque videt populus, quid ferret? projicit illud
Ante pedes ſtatuæ dux ſuperate tuæ.
Poſtera lux docuit Superorum numine miſſam,
Ultima nam Cæſar lux fuit illa tibi!
Exanimisque jaces ſtatuam ante necatus eandem,
Roſtro avis exiguæ cui data laurus erat.
Romaque, ſuſpjciens Superos! ave dicta tyranno
Fata tyrannioli nomen habente videt.
Sed quod nomen habet, non præſtitit impia cauſa.
Indole nulla minus nata nocente fuit.
Solam aquilam irritat, violentam nempe peroſa eſt:
Non quia devictam pungere gaudet avem,
Frigoribus quoties aquilam, & genus omne rapinis
Intentum, villis advigilare videt, (7)
Nil niſi prædonem ſpectat, loculumque relinquit
Cum ſtrepitu, volucrem ſi qua pericla premunt.

Tum

Digitized by Google

Tum celer objectat ſe prædæ, altùmque quiritans,
In ſe prædonis provocat ora feri.
Tum pugnare putes, & milvum lædere roſtro,
Tum rapidos ungues inter & ora volat.
Sed ſimul in tuto eſt & acanthis, & omnis alauda,
Se recipit cantans, condita moxque cavo eſt.
Pugna mihi decies conſpecta, & ſæpius, omni
Eventu trochilo ſemper inulta fuit.
Ales & eſt noſtris populo cariſſimus oris,
Lædere quem pueri vel ſcelus eſſe putant.
Nec magis eſt prognè, tutoque ciconia nido.
Tutior & cycnus non parit urbis aquis.
Nec capitur caveis, nec tanta licentia menſæ eſt,
Ut regem verubus deſtinet ullus avem.
Quis ferat authores, celebreſque ſeneſque, referre,
Ut cibus hæc fiat, quove ſit aſſa foco.
Sunt quoque, qui vivam depilavere, veruque
Induerant vivam, vertat ut ipſa veru.
Res odioſa mihi, tam nulla mente ſacerdos, (8)
Tam fera qui populum per ſua ſcripta docet.

Talibus ut poſſis vir ſanæ ignoſcere mentis,
  In tempus tales deſipuiſſe putes.
Non hac barbarie veteres ſua ſcripta lutarunt.
  Gratior his volitans, quam cibus ales erat.
Obvius in ſilvis per inertia tempora brumæ,
  Regulus eruget vel ſenis ora ſophi.
Quot folia invergit, movet ut pede præpete terram!
  Inventoque cibo quos dat ab ore modos!
Ad feſtas veniens cithariſtria pulcra feneſtras,
  Grata minus, modulis quam venit ille ſuis.
Præter enim cantum, dat & auræ ſigna ſerenæ,
  Nubilaque & duros ſignat abeſſe notos.
Quique rudes aures incantat voce perenni,
  Suavius hiberno regulus ore canit.
Si qua dies hiemis mihi tempore tranſeat agro,
  Projicit huic aliquas noſtra culina dapes:
Viſcera piſciculi, bene ſectæ fruſtula carnis,
  Exta avium, & quidquid conterat apta manus.
Inde fit, ut volucrum dulciſſima gaudeat agro,
  Compenſans numero munera parva ſuo.

Quem

Digitized by Google

Quem tamen imminuit ſæviſſima frigore bruma,
  Heu mihi, quot dulces illa peremit aves! (9)
Fruſtra munificas ſe turba recepit in ædes,
  Fruſtra ignes auxi, conſtituique focos.
Singula quæque dies volucrem monſtravit ademptam,
  Non ſemel & letho nox dedit una duas.
Par mihi vere tamen, par dulce ſuperfuit unum,
  Et ſua quod muris addidit ova meis.
Perſicus hos ramis umbrabat odorea vinctis,
  In quibus oblongum condidit umbra globum.
Factum opus inveni: ſed cæptum vidit Aprilis
  Idibus, arboribus cui data cura fuit.
Menſis abhinc ſpatium cum fugerat, omnia nondum,
  Sæpe abſens nido, fecerat ova parens.
Extremum Majo ſua tempora finiit ovum.
  Affixit nido Junius omnis avem.
Sic tamen: extremis ut menſis utramque diebus
  Spectaret pullis pabula ferre ſuis.
Creditur hic paucis de nido fama ſecundo,
  Quam dedit Albertus non levis author avi.

Bis

Digitized by Google

Bis implet nidum rariſſimus ales eundem. (10)
Regis & exiguo tempore non fit opus.
Noſtis, ut, oblongum nidus formatus in orbem,
Ad latus anguſto limine ſolis hiet.
Noſtis, ut exterius mucoſus, plumeus intus,
Pro modulo volucrum, fit ſpatioſa domus.
Pullorumque licet numerus quandoque repertus
Auctior, hos digito ſenſimus eſſe novem.
Corpora ſed tetigi tenues ut habentia plumas,
Poſt horam pullis nidus inanis erat.
Lignorum diſſecta ſtrues, non abſita muro,
Ad ſua nutrices poſt cava vidit aves.
Fertur, & intactos ſua tecta relinquere pullos
Ocius, ac ſalvos quos ſua penna facit.
Perque fere terram noſtris avis incubat oris,
Ut repetat nidos turba tenella ſuos.
Utque ferè ſemper, per frigora ſemper & imbres,
Foſſarum ripis antra frequentat avis:
Foſſarum ripis, quas ardua quercus obumbrat,
Multaque cum querna fronde rubeta tegunt:

Sic

Digitized by Google

Sic illis ſua ſæpe cavis cunabula ponit,
Quæ mira variis uſibus arte ſtruit.
Non ſine veſtibulo domus eſt, longoque canali
Jungitur interior qui capit ova thorus.
Veſtibulum patet ore brevi, quod frondibus abdit,
Venatum muſcas cum jubet ire fames.
Sic noſtris nidi plerumque ſtruuntur in oris,
Saltem ubi terra nigra eſt, & ſatis extat aquis.
Rarior aucupibus, muris affixus, habetur,
Subditus imbricibus tegminibusque caſæ.
Rarior & ſitus eſt in ſepibus, inque rubetis:
Rarior eſt nidus, quem cava malus habet.
Quas tamen ad nidum ſedes ſibi regulus optat
Exterus, ut ſcriptum fama per omne docet.
Ad foſſam nidos amat indiga vermibus ales
Inſectisque, quibus ſic ſita ſemper adeſt.
Adde, quod æſtivis ſe mergere gaudet in undis,
Quodque magis ſitiens nulla videtur avis.
Maximaque exſtructi per ſubterranea nidi
Cauſa ſit, hæc hiemis quod cava tempus amat.

Nus-

Nusquam avis immodicum peragat cum conjuge frigus
Tutius: ut quæ hiemat diſſita ſæpe caſis.
Turbaque ſe juncto coit adjutura calore:
Albertus trochilo quod ſuper unus habet. (11)
Regulus in tantum loca ſervat cognita cunis,
Ut corvum patriæ vincat amore ſuæ.
Transfuga nulla avium minus eſt. Latiſſima regna
Quæ tamen, ut meritus nomina regis, habet.
Omnibus Europæ, quod ſciri ſufficit, oris
Cernitur, exceptis Moenalis urſa tuis.
Cimbria ſpectat avem tamen, ut per frigus in auras
Non niſi poſt medii tempora ſolis eat.
Dicitur & Canadam veniſſe, ſimillima plumis, (12)
Quæque ſcolopacem tota colore refert.
Et maris & color eſt per corpora conjugis unus,
Vividior tantum pectora regis obit.
Mira fides in amore avibus plerisque videtur. (13)
Conjugis exemplum rex dat & ipſe boni.
Nam duo cum capti fuerant per tempora brumæ,
Tota diu ſocios viderat ire domus.

Per-

Pertenuis fiſcella pedes aurata notavit,
Quintaque poſt junctas bruma notavit aves.
Terra ubi clauſa diu nivibusque geluque, volucrem
Vermivoram quid alat, quærere cura tua eſt.
Corticis arborei conduntur hiatibus ova,
Omne tot inſectis poſt venit unde genus.
Inde cibos per frigus habet. Minus indiga pungit
Sorborum & baccas oxyacantha tuas.
Paſcitur & nivibus; nivibusque inſecta quod inſint,
Illa nives perarans, multaque prodit avis.
Plus frigus nocet acre fame; quod ut alite vitet
Callidius, regem ſæpe caminus habet.
Plura relaturi ſuper alite parva, timemus,
Ne putet hæc oculis fama minora ſuis.
Et levibus videor nimis otia perdere curis.
Quid faciam? ſuaſit talia ſcripta quies.
Regulus eſt quidam noſtræ notiſſimus urbis,
Umbram qui famæ pertimet usque ſuæ.
Quique putans ſatyris me nomen habere Curilli,
Nomine quo celebres Arcades inter eo,

Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoriam patriæ ſcribentem infamat, & aulæ
Læſurum dicit nomina clara virûm.
Jamque ſuſurrando me dixit & illa Curillum.
Probro eſſet tamquam nomen Honore datum.
Poſt tamen in culpam, ſi tangam publica, verti
Poſſet. Et hæc Patriæ, non mihi, ſcripta forent.
Sepoſitus labor eſt. Et aves deſcribere cæpi.
Pica meum & corvus jam puto carmen amant.
Utque oculos cantata trahat, petit æthera ſummum,
Dulcius & ſolito cantat Alauda melos.
Sperat & hæc volucris melius tua Lector habere
Lumina, quam Patriæ regulus ille meæ.

NO-

NOTÆ.

(1) *Verſu* 1. Qui minimi generis parum, pennis auricoloribus criſtaque fulva decorum, veterum exiſtimant regulum eſſe, exiſtimant & illum veterum vero regulo minorem. Sed & id, incertum mihi, ſi certum ſit, regulum verum exiguiſſimum in noſtris terris avium dicere liceret. Sicut enim nusquam hic naſcitur regii nominis uſurpator, adeo inter autumnales transfugas non comparet, ut nullis aut aucupibus aut avium amatoribus oſtenſus ſit. Mihi vero uni, divinitus tanquam, non modo apparuit, ſed & in manus venit. Hieme anni octuageſimi quarti ſæviſſima illa, in publico ſuburbano nemore dum pranſus exſpatior, virgas viſco a pueris oblitas, inque illis aviculam video, in muſeis Batavorum non ſemel a me ſpectatam; quam poſtquam criſtatam reguli æmulam ſatis, ſatisque diu videram; pedibus viſco exſolutis, libertati & coelo a me reddita eſt.

(2) *Verſu* 32. Aviculam, quam cum omni Europæ populo regulum habeo, Græciæ antiquæ populus univerſus non modo regem, ſed regem ab eo denominavit tempore, quo per fabulas ei prima inſtillata fuit cognitio ſapientiæ. Aquilam ante fortiſſimam, & dominam avium norat: ſed ut diſceret artem & conſilium viribus eſſe potentiora, excogitata eſt fabula, quæ apud ſenſu pleniſſimam gentem eatenus valuit, ut aviculam late regem dixerit & ſenatorem, quæ ſupremæ poteſtatis nomina ſola cognita fuerint antiquiſſimis Græciæ incolis. Non igitur, ut Guenaldus ſibi perſuaſit, erravit Ariſtoteles, qui conſtituta pridem nomina aviculæ adſcripſit. Nec illa tamen reticuit, quæ Cilix poeta Aratus, quæque Niliacus populus avi dederat. Sed regis, regisque cum aquila pugnantis

 no-

Digitized by Google

nomen (quod ad deſignandam avem non fruſtra Ariſtoteles addidit) vulgatius fuiſſe nomen, exinde conjicias, quod hoc in linguam Latinam, non orchilii nomen & trochili acceptum ſit. Cumque nomine avis, fabulam Romanos accepiſſe, & meminiſſe, credibile eſt: quod illa excogitata a Græcis fabula omnibus percognita eſt populis, qui authoribus poſt Romanis aviculam denominavere. Authoribus dico Romanis, quia non alias omnes linguæ in ave pariter dicta conſenſiſſent. Ad quos enim Europæ populos pervenere Romani, pervenitque notitia linguæ Latinæ, invaluit regem dici aviculam. Et hoc certe nomen accipi a gentibus, & perennare apud eas non potuiſſet, ſi in aviculam cecidiſſet inviſam, gentibusque perraris cognitam. Id unum ſi conſideraſſent ſcriptores, qui Parum criſtatum veteris Græciæ regulum fecere, id certe non feciſſent. Id vero potuiſſe eos facere, qui mirabitur, mirabitur magis, omnes veteri regulo ab Ariſtotele & Plinio inditos mores, novo prorſus diverſo regulo a recentioribus additos fuiſſe. Novus regulus avis eſt gregaria, ſolivaga eſt vetus. Patriam hæc & nidi confinia nunquam derelinquit. Altera transfuga eſt, cumque transfugis paris per autumnum in quibusdam terris videtur. Veterum Regulus cantat: cantuque tam deſtitutus eſt recentior, ut pene mutæ & vix auditæ vocis avis ſit. Poſſem antitheſim extendere, niſi avem undique diverſiſſimam eſſe, ſatis conſtaret, & ex ſequentibus etiam videndum eſſet.

(3) Albertus Magnus, qui Sæculo XIII in Germania ſcripſit, multa de quadrupedibus, multa de Avibus tradidit haud quaquam ſpernenda. Quod quidem non ideo dico, quoniam veterum Regulum agnovit, ſed quia recentiores ornithologos hunc non legere video, & tantum ex Geſneri eum aut Aldrovandi ſcriptis allegare. Ejus deinde agnitio alicujus momenti eſt propterea, quod & illam avem ita appellaſſe ſæculo ſuo ſcribit Germanos. Et ſcripſit hoc Albertus in Bavaria, ubi auricolores pari

fre-

Digitized by Google

frequentiores ſunt, quam ulla alia in terra. Vidit igitur neceſſario aviculam obſervator avium attentiſſimus, ſed non, ut regem, aut regio nomine ex criſta dignam judicaret. Ne quidem ut commemoratione dignam vidit: quod pari ſpeciem eſſe crediderit, ut revera eſt. Satisque propterea habuit, de paris loquens, varios dicere paros eſſe, innumera varietate, omnes ſingulari coloris pulcritudine. De Regulo autem loquens Albertus longus eſt. Nihil tamen inter multa notabilius, quam quod ex Germanis regulum avem dicentibus videas, appellationem perveterem eſſe, & à Romanis neceſſario apud eos relictam. Nomenque perennat in hunc diem apud omnes Germaniæ populos, ſicut & perennat apud noſtrates, levi tamen inter Batavos & Friſios differentia, illis hiemis Regulum dicentibus, quem urticarum regulum Friſii dicimus. Eaque noſtra appellatio, quod per omne oceani Germanici litus & quidem Roſtochium uſque producitur, apud Aldrovandum video: qui data avibus ab hodiernis linguis vocabula diligenter adnotavit: pari attentione nequaquam uſus in comparando veterum regulo cum illo, quem Geſnerum ſecutus regem fecit.

(4) *Verſu* 90. Parulus ſilvaticus (ſic enim vocatur a Suenkveldio in Aviario Sileſiæ) nusquam niſi a colore plumarum per hodiernas linguas dictus fuit: nusquam rex aut Regulus. Male enim Guenaldo nuntiatum fuit, in Belgio Regulum dici. Nomen Belgicum, quod parulo tribuit, vero Regulo a Belgis datur. Neque apud Anglos regina, ſed *Neinmurder* dicitur, uti Turnerus Anglus memoriæ teſtatum relinquit, primus poſt Albertum recentioris ævi ornithologus. Geſnerus & Belonius ſcripſere poſt illum. Turnerus regem Ariſtotelis & Plinii regulum pro vero Regulo habet. Alterum ſcribit ſe nec in Anglia nec in Germania vidiſſe. Vixit enim multum temporis Coloniæ Agrippinæ, ubi igitur paruli non ſunt, quos ornithologi recentiores frequentiſſimos di-

cunt eſſe in Germania. Sed video Germaniam illam Bojorum & Noricorum finibus contineri, nec ſe quidem ad Tigurinos extendere, ubi aviculam Geſnerus, quam regem fecit, perraris autumnis ſcribit videri. Turnerus, quem primum dixi recentioris ævi ornithologum fuiſſe, Coloniæ anno M. D. XLIV commentarium ſuum edidit, de Avibus inſcriptum, quarum apud Ariſtotelem & Plinium fit mentio.

Verſu 94. Conradus Geſnerus, qui primus parulum ſilveſtrem regio nomine donavit, quique in illam opinionem ſe veniſſe ſcribit ab Æliano perſuaſus & ab hominibus coætaneis, noſtro ævo incognitis, detraxit aviculæ proprios mores, nempe quod turmatim volat, moresque veteris reguli regulo a ſe creato adſcribit, nempe quod ſuaviter canit, cantuque ſoles hibernos & ſilentio imbres præſignat. Ovaque dat ei, ut veteri regulo, novem, cum qui ejus ſententiam ſecuti ſunt, ova tantum ſex aut ſeptem illam aviculam parere viderunt. Tam qui ſtatim in deſcriptione reguli ſui erravit, quod ſequaces, & eruditos viros habuerit, mirarer, niſi, quam inconſiderate ſcribant polygraphi, & ille me & Aldrovandus docuiſſent. Aldrovandus Geſnerum ſecutus eſt, magisque, quam anteſignanus ipſius, utrumque regulum confudit. Regulum verum ſcribit turmatim volare, qui magis ipſo corvo ſolivagus eſt; ſtatimque ſubjungit, eum adeo ſocietatis impatientem eſſe, ut, quotieſcunque congeneres offendit, confligetur, quod verum eſt. Sed quid facies ſcriptori tam ſibi in tribus exaratis lineis contradicenti? quamque parum regulum verum norat, & exinde videas, quod eum quidem cantare, ſed tantum Majo menſe ſcribit cantare, & tamen ſe a Belonio ſcribit accipere, eum etiam hieme cantitaſſe. Atqui regulum verum noſcentibus in comperto eſt, eum per hiemem & ſiccum frigus cantare ſuaviſſime, tempore vero incubationis non audiri, quo tem-

tempore ovis incubat cum conjuge, ut nempe ova numero multa junctione corporum exiguorum calefiant.

(6) *Verſu* 100. Quod ex Suetonio, de Regulo Romam veniente, & in media urbe ſuper Pompeii curia viſo, in verſibus meis expoſui, exponit luce meridiana clarius, qualem avem veteres pro Regulo habuerint. Nominis ejus uſurpator recens, id certe non feciſſet, ut, qui mores ſilvaticæ avis cognitos habent, haud dubiè vident. Suetonius quidem Romæ viſam aviculam Regaliolum vocat. Sed hoc nomen liquet Reguli ſynonymum eſſe. Venit enim per hiemem in urbes quam frequentiſſime, caminis Groningenſibus illapſus non ſemel. Eratque diebus hiemis extremis Romæ, cum Cæſari fatidicus veniret.

(7) *Verſu* 137. Quod de Regulo ſcripſi cum avibus rapacibus pugnante, ſicuti intellexi, poſt primam ſcripſi opuſculi editionem jam ante quatuordecim annos factam. Inter villæ meæ vicinos aucupem habeo, virum honeſto animo & acri judicio, ſeque minus aucupio alentem, quam oblectantem. Habet ex agris paſcuis, unde vitam commode ad annos perduxit jam ſenio graveſcentes. Huic cum, de Regulo quod ſcripſeram, interpretatus eram, omiſiſſe me dixit pugnacitatem ejus, quam cum avibus rapacibus ſolennem non ſine oblectamento ipſi centies hibernum tempus oſtenderat: aſpecturum me iſtas pugnas fore, ſi per hiemen ad villam veniens regulos interdum ſequerer. Neque temporis multum interceſſit, quin pugnam illam obſervarim, ſemelque illam bis cum milvo tridui tempore pugnatam. Relegens propterea ornithologos, vidi mentionem ejus rei Ariſtotelem feciſſe, ſolumque ex recentioribus Belonium retuliſſe, quod ab Ariſtotele acceperat. Adnotaverat & hoc Plinius, addens tamen, ſi credimus. Nemini non conſtat, Plinium nihil ex ſuis, omnia ex aliorum obſervationibus compilaſſe. Virum tamen

Digitized by Google

veri ſtudioſiſſimum vel ex hac dubitatione vides. Belonius videtur hujus rei certior, & Ariſtotelem & obſervationes ſuas ſecutus eſſe. Neque ex illis eſt Belonius, qui Regulum verum non agnovere. Licet Ariſtoteles, paucis tantum verbis inimicitiam Reguli notabilem indicarit, ex illis doceamur tamen, quam vera & notabilia veteres poſteris tradiderint.

(8) *Verſu* 137. De regulo vero & falſo cibis utili, nihil veteres, multa docent recentiores, ſed unde quis tanto numero regulos veros habeat, ut viri docti rem tanquam utilem videantur docuiſſe? fatentur difficillime avem capi poſſe, capi multo numero poſſe, res eſt quæ fieri non poteſt. Eſt enim ex avibus maxime ſolivagis, & quarum decem paria non ſint in villis maximis, & maxime ſilveſtribus, & quæ decem paria decem peritiſſimi aucupes per integram hiemem capturi non ſunt. Quid igitur nugivenduli docent ſcriptores? Et regulos vivos veru infigi debere, doctrina non tantum eſt barbari alicujus Maſſagetæ, ſed quæ profecta ex ſano capite negetur. Et tamen Magnus hanc doctrinam tradidit Albertus, per hoc ſæculi ſui teſtatus barbariem. Quoniam vero Albertus non tantum ſacerdos, ſed & Epiſcopus fuit, ornithologi, qui ſacerdotes fuere, manſuetudinem duxere eccleſiaſticam eſſe, doctrinam illam ſtolidam, feram, Maſſageticam non modo poſt illum commemorare, ſed & commemorare, ſe experimentis ſuis didiciſſe veriſſimam eſſe. Veritatem illam videre Kircherus, Schottus, Rhacincius, omnes priore aut hoc noſtro ſæculo ſacerdotes! Regulum vivum, deplumatum, ſale obrui debere ſcripſit Aldrovandus, idque medicinam neſcio cui malo conferre. Erat ille medicus, ſed quem ab artis ſuæ excercitio ſevocavit ornithologia. Ne vero frivola & ſtolida non ſcriberet interdum, ſevocare ornithologia non potuit.

(9) *Ver-*

(9) *Verſu* 160. Sicuti hiems ſæviſſima anni octuageſimi quarti Regulos, rubeculas, ſturnos & hirundines notabiliter imminuit, ſic & exiguas aves transfugas, turdos præcipue, autumno inſecuto perexiguo numero oſtendit. Notatum vero a complurimis, luſcinias, quas inter latentes habeo, æquo numero nec tardius vere inſecuto ceciniſſe. Et hæc præterlapſa hiems ad idus Februarii ſatis mitis, indeque per has & alias Europæ partes intenſo frigore & altis longisque nivibus ſæva, quin avibus nocuerit, non dubitamus. Luſciniæ tamen, quæ recinere cœperunt, æquo non modo numero, ſed & prius ſolito recinuere. Et ad ſolitos dies redierunt hirundines, nec minore numero quam obſervatæ ſunt anno priore.

(10) *Verſu* 179. Bis quidem raræ, ſed aliquæ aves bis nidum implent eundem, quæ operoſius eum conſtruunt, non vero Reguli. Augetque veriſimilitudinem hæc experientia, eos partum non repetere, quem duplicem regulo dedit Albertus, raro alias falſis teſtibus uſus.

(11) *Verſu* 222. Albertus regulos ſcribit nidos ſuperſtites per ſæviorem hiemem repetere, & aliquo etiam numero ſe in illis conſtipare. Avis eſt quidem regulus ſociorum minime patiens, dum ipſi bene eſt, ſed mutat naturam miſeria. Quinque ſocios regulos in villæ meæ horreo vidi per frigus anni octuageſimi quarti, vidi & eodem tempore paſſeres ibi & duas fringillas. Omnes, credo, tepidior ſeceſſus allexerat. Videtur igitur mihi, fidem mereri Albertus. De cætero conſtipare ſe aves complurimas per ſævius frigus, quæ alias per hiemem non latent, res eſt, quæ negari non poteſt. Eadem penultima hieme unus ex ſenatoribus noſtræ urbis reticulo ceperat ad centum paſſeres, quos ſummis domus ſuæ tabulatis, per ea interdum ſpatiari ſolitus, impoſuerat, conſpectu avium ſe recreaturus. Seque paſtu & conſpectu volantium aliquamdiu recreaverat,

 ſed

ſed cum per aliquot dies intenſiore frigore in tabulatum non veniſſet, aves largiter licet paſtas, ad eas reverſurus, non reperit. Perſcrutans igitur, an per aliqua tecti aut tabulati foramina eſſent elapſæ, invenit inter putridas trabes antrulum, in quod omnes, quot quot fuerant, ſe agmine facto conſtipaverant, ſed duriſſimo frigore interfectas reperit. Quod vero Albertus de regulis per frigus in nidis ſe conſtipantibus memoriæ prodidit, licet admodum notabile ſit & ad notitiam avis faciens, unus ſcriptorum avium Jonſtonus rememoravit.

(12) *Verſu* 231. Notabile eſt admodum, Regulos per omnia noſtratibus ſimiles, reperiri in Canadenſi regione, quæ Americæ pars eſt ſeptentrionalis. Charlevæus, jeſuita Gallus, author ſatis omnibus a bona fide notus, id in ſua Hiſtoria teſtatum reliquit. Unde, uti bene obſervat Guenaldus, Americam, per aliquem haud nimis frigidum terræ angulum, Europæ continentem aut eſſe aut fuiſſe exiſtimes. Avis enim minime transfuga, frigidiſſimæ terræ impatiens, non niſi paullatim ſe in iſtam alias terram extendere potuiſſet.

(13) *Verſu* 235. Nihil, poſtquam aves obſervare cœpi, verius inveni, quam quod de certis fidisque earum conjugiis in Regulo meo dixi. Et ſane ea fides talis eſt, ut ſtuporem videatur mereri. Neque picis tantum illa, corvis, perdicibus, cæterisque alitibus perpetuo per hiemem in eodem loco viſis, ſed & latentibus & transfugis conſtat. Adnotavi miraculum hoc in avibus a me deſcriptis. Notam tamen hanc extenderem, niſi unicuique hujus veri facilis eſſet experientia. Capiantur in nidis, quæcunque capi aves in nidis poterint. Nectatur pedibus, quodcunque ſine incommodo earum necti pedibus in ſignum poteſt. Experiri volentibus jucundior erit ſua, quam quæ ab aliena fide veniet, credulitas.

CO-

Digitized by Google

C O T U R N I X.

Ruris aves inter, caveis & in urbe celebres,
Sit tua cara mihi matertera Phoebe coturnix: (1)
Sit, quia muſcivora eſt, ſegeteſque & paſcua purgat:
Sit, quia voce placet, deſignans lucis & anni
Tempora, deſignans pluvias, tempuſque ſerenum,
Sit tamen inprimis, quia, quam fuit ante, volucris
Notior eſſe poteſt, & det mihi carmine famam.
Nullaque ſperari ſi gloria carmine poſſit,
Scribere, quod juvit, mea præmia ſola vocabo.
Commoda voce fuit, caveis detenta volucris,
Mane vocans lecto, juvenemque laboribus illis
Aſſueſcens, dulcem faciunt qui nunc quoque vitam.
Quantaque ruricolis, ubi turba perambulat ædes,
Gaudia quanta facit! corrugent ora puellæ,
Corrugentque, ſophum qui me dixere, ſodales.
Vita bonis uti docuit me rebus, ut illos,
Non tamen aulæis opus, ut veſtigia ponam,
Sub tecto ſi ruris eam. Domus amplior agris,

Amplior inque ipſa luxus mihi verus in urbe eſt.
Quid vetat, ut prope ſit conclavia munda, cubile
Solibus expoſitum; quod quales cunque receptet,
Et bene paſcat aves. Stratumque, ubi verris, arena,
Nullius offendat, neque Friſonis ora puellæ.
Eſt bene, ſitque diu, parili mihi ſede coturnix
Plurima, quæ notis manibus ſua granula ſumens,
Clangit, & extremæ recreat mihi tempora brumæ.
Singula quæque ſuas habet & quia cantibus horas,
Tempora quæque notat ſine gnomone juſta diei, (2)
Eſt quoque jucundum, ſua tergora quamque ſcabentem
Cernere, & adſtratis mergentem corpus arenis.
Hæc inter non cura ſubit, timor, ira, cupido
Nec ſentis, quod bruma tuas ferit imbre feneſtras.
Parrieti inſertus domini conclavia fornax,
Illarumque ſuo calefactet ab igne, lacuſque
Fagineo ſit munda labro, neque deſit & herba.
Ceſpes & herba virens, vernum renovata per annum,
Mirum eſt, ut cantum feſtinet! & ante quietos
Ad fera bella mares, illæta, diurnaque cogit.

Ex-

Digitized by Google

Excipe prævalidos, & prælia ſemper amantes,
Clangorem in caveis repetant, quem propter aluntur.
Grana nigræ ſegetis (Saracenam Gallia dicit,)
Alituum cibus eſt. Miſcetur cannabe, ſegnem (3)
Ut cantum recrees. Vox eſt ſua conjugibusque:
Nec gravis auriculis, nec diſplicitura propinquis.
Utque mares reticere vetat, ſtimulare putatur
Ad cantum omnigenas plus quam vox ulla volucres.
Altaque turba dabit tibi foemina rure, maritos
Ut quoque voce ſua per agrum vel convocet ipſum.
Credereque haud facile eſt, quam vox tenuiſſima longè
Deque domo auditur! ſub Aprilem ea turba minurit:
Subque idus menſis, niſi frigora ſera, per agrum
Prima avis adveniens, circum & tua tecta ſonabit.

Turba ſed adveniens non intellecta per auras,
Nec cum hiemem fugeret, tibi venerit unde, requiris?
Qui Latii mecum peragraſſet litora, mecum
Rudera vidiſſet, quæcunque Lavinia tellus,
Ardea, caſtrum Inui, vetus Antï oſtendit & ora,
Non dubitaret aves remeare auſtralibus agris.

Pe-

Digitized by Google

Pene dies aderat, quæ tempora findit Aprilis,
Cum mihi mane novo ſpatianti in litore, latum
Per mare turba redux viſa eſt, quam credere poſſes
Orbis aves omnes. Neque noſtris Neſtor in oris,
Vel ſi colligeret ſpectatas omne per ævum,
Tot ſe viſurum credat fore. Litus, & alga,
Lataque defeſſo conſtrata erat *alite tellus*, (rum,
Prenſaque nonnulla eſt manibus, comitumque meo-
Sed quæ macra mihi, ſociisque eſt viſa Britannis,
Utque cibus, viſa eſt guſtu noſtratibus impar.
  Sed quæ avis ex Libya (nam creditur inde venire)(4)
Agmine tam magno Latias revocatur ad oras,
Cur fugit hinc nunquam, nunquam redit ulla gregatim?
Nocte iter hoc faciens, gens advena vere fuiſſet,
Aut profuga ante hiemem populoſo in litore viſa,
Utque mare à nautis vigilacibus omne ſecatur,
Per mare, viſa foret, fugeret licet una coturnix:
Turbaque magna volans peregrè bis omnibus annis,
Auribus atque oculis deprenſa frequentius eſſet,
Quam mare Thyrrenum cum maxima Roma teneret.

Sed

Sed ſi perquiris venientes undique nautas,
Nullus avem autumno, neque noſtras vere per undas
In velis vidit, qui vela per omnia ſidens, (5)
Plinius ut perhibet, naves & apluſtria merſit.
Nubem avium, qualem Fortuna mihi obtulit Antï,
Duceret oſtentum, quod navita ſponte referret;
Quodque videns, ſtupuit Bellonius; Ïoniumque
Par docet examen bis pertranſire quotannis.
Diſparitas igitur ſit noſtras inter & illas
Magna coturnices; quam terræ partibus illis
Non faciat numerus: noſtris volet æquus in oris.
Et quia plana ſequens volucris ſata læta frequentat,
Paſcuaque; apparet, quod fortè frequentior hic ſit;
Quam, quacunque videt lapidoſos ſurgere montes,
Saxaque dumetis aut denſis obſita ſilvis.
Neve magis tepidos videatur amare receſſus,
Conſule Linnæum. Totam illa perambulat Arcton, (6)
Nec Ruſſos metuit, nec & aſpera rura Getarum;
Eſtque, ubi vix ullo glacies liquefiat ab anno.
Quanta per has terras a terræ partibus illis,

Si

Si frigus fugeret, turba iret & omnibus annis?
Sed tardam brevibus pennis, pinguedine tardam,
Abdita quæque ſatis per & æſtum deſidet omnem,
Frigora cum veniunt, ſubitanea ſæpe per Arcton,
Ne, tu illam credas gelidum per inane, per auras
Ventoſas aut velle vias aut carpere poſſe.
Græca avis, & curſum regionibus audeat illis
Omnibus, unde gregem brevior fuga tradat in oras,
Quas nullum vel frigus habet, vel mite perurit.
Threjicias ſic Nilus aves, ſic forte Pelasgas
Cinyphus, aut Cercina videt: quæque Africa Thuſcis
Objacet, exſulibus det diverſoria Thuſcis.
Venit & a Gallis, citra juga longa Cevennæ
Ad Rhodanum poſitis, Numidas aditura coturnix.
Illa moram tamen ales habet, Balearibus, inque
Corſorum ſcopulis, Sardoaque litora propter,
Haud alias factura viam, viſuraque Mauros.
Nam, modo flectit iter, caurisve relinquitur ales,
Decidere in fluctus & in obvia vela videtur. (7)
Harum igitur volucrum quicunque pericula cernis,

Qua-

Digitized by Google

Qualia noſtrates, & ab axe Lycaonis urſæ
Venturas maneant? ſuperari poſſe negabis.
Frigora cumque neges manſuras vincere poſſe
Quid reſtat, niſi ſomnus aves ut ſervet opertas?
   Grata parum eſt, video, magnis ſcriptoribus illa
Tam multa ratione licet ſententia nixa.
Sed quid ament niſi verum homines, tam cernere verum
Non modo qui digni, ſed & apti, jure videntur?
Verum & ego cum ſecter, ab his, & ab omnibus oro,
Nequis me famam meritis oppedere velle,
Scribere neu quis aves, faciam ut miracula, credat,
Detineamque animos paradoxis. Cognita priſcis
Pleraque me teſtor ſcripſiſſe, inventaque pauca:
Inventumque novum non eſt, ſopita coturnix.
Res latuit veteres terris auſtralibus ortos.
Sed ſi de Græcis, volucres curantibus, unus
Teutonicis, patriæque meæ vixiſſet in oris,
Non neſciſſet avis latebras ſtudioſa vetuſtas.
   Albertus, rerum bonus obſervator, ad Iſtrum (8)
Qui vixit Bavarum, & Rheni quandoque per urbes,
In-

Invitis ſæcli tenebris oculatus, & acer,
Vidit aves non poſſe ſuis diſcedere ab oris.
Vandalus &, noſtro qui ſcripſit Kleinius ævo, (9)
Condidit in patria, patriæ regionis alumnas.
Sed quod utrique fidem detraxit, uterque negavit
Et procul Auſonias, procul & migrare Pelasgas.
Deprenſusque error veſtigia pone ſequentum
Tam procul avertit, ſcrobis ut formidine, plures
In præceps lapſi: minus unde innubila veri
Lux fuit ante oculos, quam vulgo apparet inerti.
Sic bene naturas avium venator, & auceps,
Non bene vir ſpectat celeberrima ſcripta ſecutus:
Sicque coturnices diſcedere doctus, ut ingens
Oſtendit ſignum, quod, quæ ſopitur in agris (10)
Sub Jove, clauſa domo volucris bene vixerat. Atqui
Non obſtet, quod clauſa domo bene paſtaque frigus
Et ſomnum vincat. Volucris quota vincit utrumque,
Quæ jove ſub gelido ſemeſtri obnoxia ſomno eſt?
Nec, quæ avis in cavea ſub brumam, comparet ullus,
Et patitur nudis quæ pernox libera pratis.

Mil-

Digitized by Google

Mille avibus, cavea vigilantibus atque canoris;
Mille feris ſopor inde venit, ſub tegmine clauſo
Non dormituris: quarum ſi cognita nulla eſt;
En, populi ante oculos, fera fulva perambulat urbem,
Rictus vincta, gradusque pigros ululatibus urgens,
Quæ certè Arctois, venit unde, quieſceret oris.
Ipſum hominem ad ſomnos perlectat frigus, & acri
Frigore perſtricto ſenſus, dormire neceſſe eſt.
Nec refert, ſomno quod non expergeris illo;
Somniferum frigus modo credis, frigus & omnem
Spiſſare in nervis, veniſque fibriſque liquorem.
Scilicet inde ſopor ſequitur: quem forſitan auget,
Securumque facit præſumta animantibus eſca, (11)
Aut anima exſurgens terris. Sed quiſque refellat,
Pro ſenſu lubituque ſuo, quod opinio tantum eſt,
Dummodo viſuris volucrem non eſſe, vel eſſe
In latebris, ratio quod juſſerit, accipiatur.

Non ſit in his terris, niſi condita dormiat ales,
Quod, puto, monſtravi; nam transfuga viſa fuiſſet,
Viſa fugax, aut viſa redux: quod utrumque negabit,

Noſtra coturnicum quæ gens habeatur amatrix.
Nam Saracena ſeges, ſeges ultima, quando ſecatur,
Sæpe ſub extremis quod fit Septembribus horis,
Tempore tam pigra eſt, meſſoris ut arma propinqui
Non metuens, denſas inter cædatur ariſtas
Plurima, quæ coenam vel et hoc mihi præbuit anno.
Quodque tibi meſſor, noſtris teſtabitur oris
Qui tardam venator avem vix pellit in auras,
Admorſamque refert canibus. Neque clangit, & illo
Tempore ſponte ſua nudos volat ulla per agros.
Per tamen & ſtipulas, per agreſtia poma, per, orta
Plejade, quæ fruticant, & rapa moratur, ad idus
Octobris. Quæ fera dies mihi præbuit inter
Perdices illam, venantis ab alite ferro
Tum quoque percuſſam. Munusque inſigne Dianæ
Quod faceret, comes ales erat, quæ dicta Pelasgis
Ortygometra, greges Danaum ducebat ab oris,
Rexque coturnicum Batavorum & ab ore vocatur. (12)
Sed gregibus procul, & diverſum cæſa per agrum
Dux profugarum avium fuit illa: ſapore coturnix,

Plu-

Plumisque & cauda, neque multum diſpare roſtro:
Corpore ſed major, pedibusque extantior altis.
Utque coturnicum de ſtirpe per omnia differt,
Quinque dat ova ferè, parili nec & illa colore:
More coturnicum nec pulvere mergitur ullo,
Nec ſtipulis nidum, ſegetemque ferentibus arvis,
Sed ſemper pratis, & humentibus inſtruit herbis.
Unde coturnices ubi duxerat ales euntes,
Jungitur his, ut amans, ut vireo paſſere multo,
Ut merulus turdis, embryzaque gaudet alaudis,
Brumaque fringillis profugis ut acanthida jungit.
Sed quæ per noſtros tam ſera moratur agellos,(13)
Serius & forſan, quam cum mihi cæſa coturnix,
Omnibus haud abitum meditari poſſe videtur.
Quaque ſub autumnum fugit, ocius avolat ales.
Deſerit extremis Thraciam Sextilibus horis,
Et Latium menſis ſub tempora prima ſequentis.
Longior in Latio mora ſi perſtringeret alas,
Inque propinqua abitum Neptunia ſaxa vetaret,(14)
Quid faceret medius noſtris October in agris?

Quæris, ubi credam latituras poſſe manere?
Cinctus ager foſſis, foſſarum in margine dumos
Sæpe videt: denſisque rubis interſita ſorbus,
Frangulaque & terram ſiccantes bætula, celſis,
Silva extenſa locis, dant tecta latentibus apta.
Det quoque procera cava terra ſub arbore ſedem,
Detque caverna locum, *magnis non unica ſilvis*,
Quam vacuam vulpes cum conjuge cæſa reliquit.
Cuncta, ſed oſtendens peridonea ſtrata latebris,
Non ego finirem: quandoque oſtendero cuncta,
Altera forte tamen ſibi cognita quæreret ales.
Antraque vere prius, vox agnita *quam ſit in agris*,
Solibus icta, fugit. Prius & quam clangere curet,
Aſpecta teneros de conjuge ſentiat ignes. (15)
Aprilis fini rariſſima præcinit ales,
Præcinit interdum: facit & ſaracena ſerantur
Ut prius, ac ſulcis alias ea ſemina credas.
Nemo reverſuras tam feſtinante pruinas
Voce timet: ſerumque gelu vox ſera minatur.
Indicat & ſoles & nubila ſæpe diei.

Se-

Sera canens, ſoles, Auroram quæque ſalutat,
Illætum ſine ſole diem præſagit & imbres.
Namque diem volucris cum non canat ulla per omnem,
Cumque per imbriferas male vocem everberet auras,
Cantibus antevenit, ſi quos præſenſerit imbres.
Exſpectans ſoles, ut cantibus atque calore
Uxori partus ſit mollior, inchoat illo
Tempore concentus, quo tempore clangor & æſtus
Se juvat & matrem, matremque levamine juncto.
Nidificat prati per gramina rara coturnix,
Quæ parit orbe meo. Cerealibus incubat herbis
Tutius, & ventos & defendentibus imbres,
Grande malum nidis, omnique æſtate timendum
In terris, Hyades ubi poſſis credere natas.
Bis parit, & partus ſedena dat ova parenti (16)
Singulus: à cantu quæ conjugis edere primo
Mater amat: numero ſed ſæpe minora videntur:
Pluraque Sedenis rariſſimus invenit annus.
Quæ ſimul excluſit novus omnia Junius, omnis
Currit progenies, matremque patremque ſequendo

Digitized by Google

Quærere diſcit opes, inſecta volucria quæ ſunt,
Et vermes, oculis vix nota animantia noſtris.
  Naſcitur unicolor ſoboles, prope furva: colorque
In plures manet ille dies: nec deficit, ante
Corpora quam juſtum prope pondus habentia cernis.
Quodque brevi ſpatio ſibi conſulat, altera proles
Viſa docet: Cereris quam munera prima ſecando
Julius extremis oſtendit ſæpe diebus
Currentem, falcisque metu ſua corpora culmis
Abdentem: culmosque pia ſi falce relinquis
Exiguos, foſſis cincto manet omnis in agro
Progenies, domino creſcentia corpora monſtrans.
Clauſaque reticulo caveis niſi clangere diſcat,
Poſt idus Auguſte tuos ſibi conſulit ales,
Corporis ad plenum nondum tamen aucta vigorem.
  Partus & involcris ſpectatur ſerius agro. (17)
Primaque meſſa ſeges pro pullis detegit ova:
Quæ prope ſemper avis culmis detecta relinquit.
Candidus his color eſt, viror ut ſubluceat albo,
Diſtinctus punctis; quæ dicere nigra volentes

Al-

Digitized by Google

Altera fuſca vident, clareſcunt altera pene.
Durior eſt cortex, quam tanti ponderis ovis
Eſſe ſolet: ſint unde diu ſubſtrata parenti:
Ovaque vivacem dant tarde excluſa volucrem,
Clauſa tamen caveis quod non docet: ante ſenectam
Sive perit muſcis, carituraque vermibus ales, (18)
Sive nocet vegetum venus interdicta per ævum;
Copia ſive cibi ſit inertibus unica damno,
Plurima pars caveis tempus perit ante biluſtre;
Cui ſpatio tamen una duos ſuperaddidit annos,
Quattuor extremis cantum intermittere viſa.
Sunt, quibus hæc avium de raris creditur, una (19)
Conjuge non uſis, gallumque imitantibus: & quæ
Inſuper haud multis genus augeat acre maritis.
Sed quicunque mihi nidus per retia captus,
Tranſiit in ſepes, ſexum oſtendebat utramque,
Tamque pari numero, quam quem gallina, vel ales
Qualiscunque daret. Nec adultera debet haberi
Alite plus alia. Comes indivulſus amatæ
Conjugis eſt conjux, contentus jugere parvo

Digitized by Google

Tempore nidorum. Materque paterque per arva
Progeniem ſequitur, donec ſibi conſulat alis.
Dumque cubat mater, mas jugure gnavus eodem
Solatum ex cantu, vermesque aut ſemina præſtat.
Labitur interea tempus, quod amoribus aptum,
Luxuriaret avi. Nec enim laſciviat orta
Plejade torpeſcens, aut frigore veris aquoſi.
Sed ſequitur moechas imitantia ſibila, dicis, (20)
Perque æſtum cupidas his vocibus arrigit aures.
Nonne igitur volucres miſereri credis, & ægræ
Congeneris plangore trahi? Sonus aucupis illum
Plangorem ſimulet, quem non tua judicet auris.
Quid, ſi animæ melioris avi videatur amica
Conjugis auxilium poſcens, videatur & uxor?
Certa fides in amore avibus quod conſtet & illis,
Ex nidis doceor, quos ſe contingere vidi.
Haud ita ſe ferret, bene ni ſibi conſcius ales,
Moribus ex propriis nuptam & cenſeret amicos.
Jamque coturnicem, volucresque relinquere noſtras
Cogimur, & ſtudiis forte omnem imponere finem,

Mar-

Marte quod urgemur, cives & in arma vocamur,
Patria quotquot habet, meque armat publicus enſis
Contra vicinos agitantia Cæſaris arma.

Vatum animæ fortes, Tyrtæi animæque minaces
Alcæi, memores, colui ſacra veſtra quod olim, (21)
Non ſinite, immemorem patriæ, me tangat ut agri
Vel ſtudii quoque dulcis amor: facite, arma ferentem
Non fugiat vigor, & duodeno proxima luſtro
Vita det, ut, quoniam canos Phæbeia capillos
Laurea ſera decet, contingat Martia vati.

N O T Æ.

(1) *Verſu* 2. Coturnix matertera Apollinis a poëtis dicta eſt ob Latonæ ſororem Aſterien, quæ in inſula Delo regnans, ſororem amatam a Jove, minasque Junonis fugientem recepit, ideoque in Coturnicem a Junone mutata eſt. Unde & Delos inſula non modo Ortygiæ nomen, ſed & fatum accepiſſe credita eſt, ut coturnicibus maxime in omne ævum frequentetur, quod incultæ inſulæ in hunc usque diem per hiemem evenit. Æſtate, ut cultu ſegetum, ita & à coturnicibus deſerta eſt. Alterum vero vocis canoræ meritum, quod dixi carmine dignum videri, ſaltem a noſtratibus avi non detrahetur: quibus in tantum propterea placet, ut vix domum, caveis non prætextam, videas. Et vox certe, quæ rudes agricolarum aures ex ſegete & pratis veniens oblectat, urbis vicos ex caveis audita exhilarat, vicos tamen præcipuè matutinis horis populo infrequentes. Non equidem recordor me avem in aliis terris ex caveis audiviſſe. Tacentque de ejus vocis laude ornithologi plerique. Sæculo tamen decimo ſexto exeunte alebantur ob vocem aves Bononiæ in caveis patriciorum, uti apud Aldrovandum legitur: ſed qui, auribus natus valde moroſis, vocem coturnicis, ut cuculi ſemper eadem repetentis, abſonam & inconcininam judicavit.

(2) *Verſu* 28. Sicuti veteres primo ſecundo & tertio Galli cantu diverſa noctis tempora metiebantur, ſic & amatores coturnicum obſervant in caveis detentas non modo certis ſingulas horis clangores ſuos repetere, ſed & æquis intervallis unumquamque clangere, quod ultimum horologio ante me poſito verum eſſe non ſemel expertus fui.

(3) *Ver-*

(3) *Verſu* 42. Semina cannabis & Saracenæ ſegetis, quam noſtrates fagineam dicunt, coturnicibus captivis cibus quidem diurnus: ſed vermiculi & locuſtæ ſubjunguntur ab amatoribus. Interque vermiculos maxime vermem amant in farina provenientem, & qui luſciniis quoque captivis ut cibus amatiſſimus datur.

(4) *Verſu* 69. Coturnices, quæ menſe Aprili ineunte ad Italica maris mediterranei litora tanto numero veniunt, dicuntur ab incolis & a ſcriptoribus rudem famam ſecutis non modo ex Africa, ſed ex Africa in Italiam una nocte pervenire. Tantum vero abeſt, ut immenſum iter ab avibus tardis una nocte fieri poſſe perſuadear, ut etiam valde dubitem, an ex Africa quantocunque tempore adveniant. Tempore enim quo adveniunt, ſegetes prope maturæ ſunt in Africæ litoribus. Ineunte & toto menſe Majo omnes ſecantur. Cur meſſem non modo optabilem, ſed & nidos aves desererent? Pullos certè nondum volucres, nondum ad tantum iter aptos deſtituerent. Iter deinde immenſum an ab ipſis parentibus conficiatur, quod velociſſimæ naves quinque dierum & quinque noctium ſpatio vix perficiunt? Veteres hujus inconſideratæ opinionis authores non fuere. Plinius coturnices in navigia ſcripſit incidere, ſed cum prope terram ſunt navigia, tum illa ab illapſis gregibus interdum ſubmerſa fuiſſe. Additque noctibus tantum imminere navibus hoc periculum, de die & in alto maris non formidatum fuiſſe. De die igitur veterum tempore non pervolitarunt mare, una nocte non pervolitandum. Et ſi una nocte ab avibus tardis pervolitari potuiſſet, navigiis & in alto maris ab earum gregibus fuiſſet periculum. Avium terreſtrium parvas vires agnovit & ante oculos ponit Plinius. Non ſublimes, ſcribit, non altivolas fuiſſe, quas ſupra nubes vehi ſcribunt recentiores, qui ne gregem quidem radentem terras viderunt. Plinius vernis

N O T Æ.

(1) *Verſu* 2. Coturnix matertera Apollinis a poëtis dicta eſt ob Latonæ ſororem Aſterien, quæ in inſula Delo regnans, ſororem amatam a Jove, minasque Junonis fugientem recepit, ideoque in Coturnicem a Junone mutata eſt. Unde & Delos inſula non modo Ortygiæ nomen, ſed & fatum accepiſſe credita eſt, ut coturnicibus maxime in omne ævum frequentetur, quod incultæ inſulæ in hunc usque diem per hiemem evenit. Æſtate, ut cultu ſegetum, ita & à coturnicibus deſerta eſt. Alterum vero vocis canoræ meritum, quod dixi carmine dignum videri, ſaltem a noſtratibus avi non detrahetur: quibus in tantum propterea placet, ut vix domum, caveis non prætextam, videas. Et vox certe, quæ rudes agricolarum aures ex ſegete & pratis veniens oblectat, urbis vicos ex caveis audita exhilarat, vicos tamen præcipuè matutinis horis populo infrequentes. Non equidem recordor me avem in aliis terris ex caveis audiviſſe. Tacentque de ejus vocis laude ornithologi plerique. Sæculo tamen decimo ſexto exeunte alebantur ob vocem aves Bononiæ in caveis patriciorum, uti apud Aldrovandum legitur: ſed qui, auribus natus valde moroſis, vocem coturnicis, ut cuculi ſemper eadem repetentis, abſonam & inconcininam judicavit.

(2) *Verſu* 28. Sicuti veteres primo ſecundo & tertio Galli cantu diverſa noctis tempora metiebantur, ſic & amatores coturnicum obſervant in caveis detentas non modo certis ſingulas horis clangores ſuos repetere, ſed & æquis intervallis unumquamque clangere, quod ultimum horologio ante me poſito verum eſſe non ſemel expertus fui.

(3) *Ver-*

(3) *Verſu* 42. Semina cannabis & Saracenæ ſegetis, quam noſtrates fagineam dicunt, coturnicibus captivis cibus quidem diurnus: ſed vermiculi & locuſtæ ſubjunguntur ab amatoribus. Interque vermiculos maxime vermem amant in farina provenientem, & qui luſciniis quoque captivis ut cibus amatiſſimus datur.

(4) *Verſu* 69. Coturnices, quæ menſe Aprili ineunte ad Italica maris mediterranei litora tanto numero veniunt, dicuntur ab incolis & a ſcriptoribus rudem famam ſecutis non modo ex Africa, ſed ex Africa in Italiam una nocte pervenire. Tantum vero abeſt, ut immenſum iter ab avibus tardis una nocte fieri poſſe perſuadear, ut etiam valde dubitem, an ex Africa quantocunque tempore adveniant. Tempore enim quo adveniunt, ſegetes prope maturæ ſunt in Africæ litoribus. Ineunte & toto menſe Majo omnes ſecantur. Cur meſſem non modo optabilem, ſed & nidos aves desererent? Pullos certè nondum volucres, nondum ad tantum iter aptos deſtituerent. Iter deinde immenſum an ab ipſis parentibus conficiatur, quod velociſſimæ naves quinque dierum & quinque noctium ſpatio vix perficiunt? Veteres hujus inconſideratæ opinionis authores non fuere. Plinius coturnices in navigia ſcripſit incidere, ſed cum prope terram ſunt navigia, tum illa ab illapſis gregibus interdum ſubmerſa fuiſſe. Additque noctibus tantum imminere navibus hoc periculum, de die & in alto maris non formidatum fuiſſe. De die igitur veterum tempore non pervolitarunt mare, una nocte non pervolitandum. Et ſi una nocte ab avibus tardis pervolitari potuiſſet, navigiis & in alto maris ab earum gregibus fuiſſet periculum. Avium terreſtrium parvas vires agnovit & ante oculos ponit Plinius. Non ſublimes, ſcribit, non altivolas fuiſſe, quas ſupra nubes vehi ſcribunt recentiores, qui ne gregem quidem radentem terras viderunt. Plinius vernis

NOTÆ.

(1) *Verſu* 2. Coturnix matertera Apollinis a poëtis dicta eſt ob Latonæ ſororem Aſterien, quæ in inſula Delo regnans, ſororem amatam a Jove, minasque Junonis fugientem recepit, ideoque in Coturnicem a Junone mutata eſt. Unde & Delos inſula non modo Ortygiæ nomen, ſed & fatum accepiſſe credita eſt, ut coturnicibus maxime in omne ævum frequentetur, quod incultæ inſulæ in hunc usque diem per hiemem evenit. Æſtate, ut cultu ſegetum, ita & à coturnicibus deſerta eſt. Alterum vero vocis canoræ meritum, quod dixi carmine dignum videri, ſaltem a noſtratibus avi non detrahetur: quibus in tantum propterea placet, ut vix domum, caveis non prætextam, videas. Et vox certe, quæ rudes agricolarum aures ex ſegete & pratis veniens oblectat, urbis vicos ex caveis audita exhilarat, vicos tamen præcipuè matutinis horis populo infrequentes. Non equidem recordor me avem in aliis terris ex caveis audiviſſe. Tacentque de ejus vocis laude ornithologi plerique. Sæculo tamen decimo ſexto exeunte alebantur ob vocem aves Bononiæ in caveis patriciorum, uti apud Aldrovandum legitur: ſed qui, auribus natus valde moroſis, vocem coturnicis, ut cuculi ſemper eadem repetentis, abſonam & inconcininam judicavit.

(2) *Verſu* 28. Sicuti veteres primo ſecundo & tertio Galli cantu diverſa noctis tempora metiebantur, ſic & amatores coturnicum obſervant in caveis detentas non modo certis ſingulas horis clangores ſuos repetere, ſed & æquis intervallis unumquamque clangere, quod ultimum horologio ante me poſito verum eſſe non ſemel expertus fui.

(3) *Ver-*

Digitized by Google

(3) *Verſu* 42. Semina cannabis & Saracenæ ſegetis, quam noſtrates fagineam dicunt, coturnicibus captivis cibus quidem diurnus: ſed vermiculi & locuſtæ ſubjunguntur ab amatoribus. Interque vermiculos maxime vermem amant in farina provenientem, & qui luſciniis quoque captivis ut cibus amatiſſimus datur.

(4) *Verſu* 69. Coturnices, quæ menſe Aprili ineunte ad Italica maris mediterranei litora tanto numero veniunt, dicuntur ab incolis & a ſcriptoribus rudem famam ſecutis non modo ex Africa, ſed ex Africa in Italiam una nocte pervenire. Tantum vero abeſt, ut immenſum iter ab avibus tardis una nocte fieri poſſe perſuadear, ut etiam valde dubitem, an ex Africa quantocunque tempore adveniant. Tempore enim quo adveniunt, ſegetes prope maturæ ſunt in Africæ litoribus. Ineunte & toto menſe Majo omnes ſecantur. Cur meſſem non modo optabilem, ſed & nidos aves deſererent? Pullos certè nondum volucres, nondum ad tantum iter aptos deſtituerent. Iter deinde immenſum an ab ipſis parentibus conficiatur, quod velociſſimæ naves quinque dierum & quinque noctium ſpatio vix perficiunt? Veteres hujus inconſideratæ opinionis authores non fuere. Plinius coturnices in navigia ſcripſit incidere, ſed cum prope terram ſunt navigia, tum illa ab illapſis gregibus interdum ſubmerſa fuiſſe. Additque noctibus tantum imminere navibus hoc periculum, de die & in alto maris non formidatum fuiſſe. De die igitur veterum tempore non pervolitarunt mare, una nocte non pervolitandum. Et ſi una nocte ab avibus tardis pervolitari potuiſſet, navigiis & in alto maris ab earum gregibus fuiſſet periculum. Avium terreſtrium parvas vires agnovit & ante oculos ponit Plinius. Non ſublimes, ſcribit, non altivolas fuiſſe, quas ſupra nubes vehi ſcribunt recentiores, qui ne gregem quidem radentem terras viderunt. Plinius vernis

nis advenis per hoſpitia certa iter eſſe adnotando, videtur inſulas indicaſſe, quæ in alto maris, Africam & Italiam inter, non ſunt: ſed quæ plurima Italiæ litora prætexunt. Atque in illis inſulis coturnices Italas hibernare non modo ex avium parvis viribus, ſed & ex inſularum quoque nominibus perſuadeor, quæ ſæpe Ortygiæ, coturnicum ſedes, a veteribus dictæ ſunt. Habent iſtæ inſulæ, ut ipſe in aliquibus vidi, ſcopulos prope ex cochleis contextos: cochleasque perdicibus amatiſſimum cibum fuiſſe ſcripſere Ariſtoteles & Athenæus. Quem igitur cibum vermivoris coturnicibus placere quis eſt, qui dubitet? Nullo hiemis tempore in ſcopulis admodum apricis iſtæ cochleæ deficiunt. Cibusque per Italiam hiemis tempore, licet aliquæ coturnices in Italia perennent, immenſis gregibus deficiens, velocioribus iter in vicinas inſulas perſuadeat. Easque transfugas ad cochleas ire oſtendere videntur transfugarum ſociæ aves aquaticæ, otis, cynchramus, & ortygometra, quas Ariſtoteles & Plinius profugis comites adjungunt, non vero revertentibus: nam in inſulis illæ diutius ſe detineant, herbarum & ſeminum cibo non ut coturnices indigæ. Quodque illo neceſſario cibo coturnices diu caruerint, teſtantur reduces macredine, teſtantur & guſtu, quem parum laudabilem me inveniſſe in verſibus dixi, Antii ex illis largitur paſtus. Neque laudavit Belonius guſtum earum, quas ab inſula Rhodo in Ægypthum navigans in navigio per autumnum ceperat. Scribit ſe in ſtomacho comeſtarum integra ſegetis neſcio cujus granula inveniſſe: quod iter illas longum confeciſſe nullatenus docet. Aldrovandus vero in coturnice, Antium recens advecta, Baſilici ſemen invenit, quod terræ datum fruticavit. Et tamen vernas proficiſci docet ex Africa. Tam inconſequenter illum naturæ interpretem ſcribere, quis ferat? Semen iſtud Baſilici, quod in petroſis locis egregie provenit, non ex Africa, ſed ex vicinis inſulis Pontia & Pandataria allatum fuerit, quas inſulas coturnicibus abundare docet Varro, & quod in iis illæ per hiemem abundent,

in-

intelligimus ex ſcopuloſa earum natura, per æſtatem ſegete & omni herba carentium: quæque, uti avium pullis victum, nidis locum non darent. Unde igitur in illis per hiemem niſi ex cochleis ſe ſuſtentarent? quodque illum cibum minime faſtidiunt coturnices, teſtantur Zoologiæ Britannicæ ſcriptores. Abundat coturnicibus Britannia. Sed ex interiore inſula omnes verſus hiemem ad ejus litora maxime aprica ſecedunt, marinis animantibus ſuſtentandæ. Indeque per hiemem gregatim quaſi in alga paſcentes videntur. Suntque propterea, (uti obſervat Guenaldus) per omnem terram in litoralibus locis frequentiores. Quod ſi vero Britannicæ coturnices perennent in litore, quare Italicæ longius iter, quam Britannicæ, facerent? quare tardiſſimæ aves in Africam tanto ſuo periculo contenderent? Sed tot abundantibus mihi argumentis, quibus Italicas coturnices Africæ litoribus excludam, cur nulla eorum in verſibus facta eſt mentio? Communem opinionem tanta graviſſimorum virorum pertinacia apud omne vulgus ſtabilitam ſequi, quam nimis laceſſere malui. Unico tamen verſiculo coturnicibus ex Italia profugis Neptunia ſaxa oſtendi. Sufficere indicium poſteris credidi, ſi forte coturnices melius quam hodierni ſcriptores noſcerent. Hodiernæ vero graviſſimorum virorum authoritati contradicere, fruſtraneam operam duxi fore. Et ſerius didici ſegetes menſe majo in Africa ſecari. Quod ſi prius ad notitiam meam perveniſſet, verſiculis non nihil audacioribus indicaſſem forte, parum mihi veroſimile videri, coturnices, qui in Italiam & Galliam vere adveniunt, ex Libya aut Mauritania profectas fuiſſe. Sed Hotunus, Avium deſcriptor Amſtelodamenſis, qui me Africarum meſſium tempus docuit, hoc ipſum tempus pro certiſſimo argumento habet coturnices Italas & Gallicas ex Africa venire, & is idem ſcriptor Aprilem dicit, cothurniceum menſem apud Gallos vocari. Tam inconſequenter cum ſcribant & judicent homines, cumque præjudicia inter illos argumentis etiam maxime contrariis ſtabiliantur, quid meis ego verſiculis

lis efficerem, quibus fidem graviſſimus ſcriptor Guenaldus non habet, eo ipſo quod verſiculi ſunt?

(5) *Verſu* 81. Coturnices, quæ circa Italiæ litora numero ſuo intutam navigationem fecere, nullisque noſtratium in navibus per ver & autumnum videntur, magno ſane argumento ſunt, noſtrates non peregrinari: quod notabile noſtratium diſcrimen licet ſatis clarè in verſiculis meis expoſuerim, ut iis fides ſit, ſoluta oratione verba metro ligata confirmo.

(6) *Verſu* 96. Linnæus ſcribit coturnices in omni Suecia frequentiſſimas eſſe, & Horrebovius Danus eas in terris magis ſeptentrionalibus vidit. Illæne aves frigore autumnali ſubitaneo perſtrictæ, illæne gregatim avolarent? avolantes non quid in mari Balthico, inque maris Balthici litoribus, nonquid in citeriore Germania viderentur? & quas Horrebovius in Yſlandia vidit, nonquid in oceano ab ulla navi per coelum euntes viderentur?

(7) *Verſu* 117. Quod ſi in mari mediterraneo tot inſulis diſtincto fatigati greges in fluctus labuntur, uti Guenaldus teſtatur evenire, qua ratione profugos non modo in Mauritaniam, ſed & in Africam Nigritanam, ultraque zonam poſitam amandat?

(8) *Verſu* 137. Cum graviſſimus ſcriptor Guenaldus mentionem de Alberto facit, qui primus, uti in verſibus dixi, latere coturnices vidit,

Digitized by Google

dit, & *latere, ut ſuperfluitates viſcoſas digerant;* inſanam dicit opinionem veteribus in mentem non veniſſe, recentioribus, ut delirarent, ſervatam. Quod ſi vero fas ſit, Albertum Magnum inſanum & abſurdum ſcriptorem dicere, dicere recentiorem & hodiernum non poteſt, quem conſtat ante quingentos & tres annos vivere deſiiſſe.

(9) *Verſu* 141. Jacobus Theodorus Kleinius, qui in magiſtratu urbis Gedanenſis hoc noſtro ævo conſenuit, & qui egregio mihi ſcriptor judicio videtur, non modo argumentis, ſed multis teſtibus oſtendit coturnices Vandalas non peregrinari: interque teſtes ſcriptorem Anglum, peregrinatorem hominem, adducit, qui coturnices boreales ſub terris per hiemem vidit latentes. Neque Kleinius & ejus teſtes ſoli ſunt, quibus latere eas perſuaſum fuit. Belonius Gallus id idem multis ſuo ævo & graviſſimi judicii viris perſuaſum fuiſſe ſcribit, ipſe licet avem peregrinantem haberet, quod Græcanicas peregrinari viderat.

(10) *Verſu* 152. Dum coturnicem non modo, ſed coturnicem deſcribens Guenaldus omnem aliam avem per hiemem negat ſopiri, oblitus videtur Buffonii ſui, oblitus & ſui ipſius. Buffonius riparias hirundines per hiemem ſopiri poſſe concedit, ipſe veſpertiliones. An veſpertiliones aves non ſunt? & quo argumento certus eſt, illas ſanguine, quam alias aves eſſe frigidiore? ut vero coturnicem per hiemem ſopiri neget, tanquam favorabile opinioni ſuæ & ingens ſignum oſtendit, quod Horrebovius per hiemem in domo maxime ſeptentrionali viventem vidit coturnicem currere, bene ſcilicet paſtam & bene tepefactam, habentem igitur omnia, unde & vitam ſuam Libyca coturnix ſuſtentet.

(11) *Ver-*

Digitized by Google

(11) *Verſu* 172. Quod ſi hirundines ſub aquis Suecicis latentes per calorem verno tempore terris exhalantem in vitam revocantur (videtur enim ea cauſa id maxime efficiens) cur aura & vapor terræ per autumnum non habeat, quod ſoporiferum ſit animantibus? Apes per hiemem latituræ extremis ſuis excurſibus cibos advehunt, quos nullo alio tempore in alveare conducunt. Multa hominibus liquida & edulia ſoporem conferunt. Cur non ſit in rerum natura, quod ididem præſtet animantibus? Videmus ſturnorum greges alio longè volatu & tanquam efferatos per autumnale cælum ruere. Nonquid jam guſtatus, ſomnumque venis concilians cibus id videri poteſt effeciſſe? Oſtendam in Merula mea ſturnos noſtrates per hiemem ſopiri: non in ipſo Sturno meo, quoniam ſcriptus fuerat, ante quam latitantes ſturnos ipſe oculis meis vidi, multisque teſtibus circumcinctus.

(12) *Verſu* 195. Ortygometram, prægrandem coturnicem dixit Heſychius, crecem lingua Latina. Unde & Belgica denominatio videtur profecta. Conſonum enim *Schreeke* & crece, conſtat quoniam literam C apud Latinos, uti noſtrum K pronuntiatum fuiſſe. Avis ſatis frequens in agro Groningano, frequentior tamen eſt in vicina Friſiæ provincia, utpote magis paluſtri & humida. Licet Galli creces roſtro nonnihil vario, in terreſtres & paluſtres diſtinguant, quæ crex geniſtarum apud eos dicitur, veterumque fuit ortygometra, paluſtribus avibus accenſenda eſt; pedibus extantior, quam ut terreſtris videri poſſit. Uti vero a noſtratibus *Schreeke*, ita & rex coturnicum dicitur *Kwartel Koning*.

(13) *Verſu* 210. Ab aucupibus & venatoribus audio coturnices in agris

agris noſtris per omnem ſæpe Novembrem videri, November nimirum quotiescunque tepidior, ventis & omni glacie caret. Segregesque tum videntur; avesque tam ſero ſegreges, & ſolo junctæ conjuge quando in greges coeant? qui, ſicuti dictum in verſibus, nunquam in his terris viſi ſunt.

(14) *Verſu* 217. Propinqua litoribus Neptunia ſaxa, inſulas voco, quæ Italiæ litora prætexunt. Neque enim aliud ſunt Æthalia, Pontia, Pandataria & Ænaria, quæ nunc, uti Varronis tempore, coturnicibus per hiemem abundant. Capreæ præſulem Epiſcopum coturnicum a Neapolitanis dici ſcribit Guenaldus. Sed uti inſula coturnicibus per hiemen abundat, nullas vidi, licet bidui tempore ſub finem Aprilis omnem inſulam perreptarim, Tiberii Cæſaris villas, magnis ruderibus exſtantes, ut conſpicerem.

(15) *Verſu* 232. Canere incipiunt circa Bononiam Aprilis initio: ante tamen adveniſſe creduntur. Verba ſunt Aldrovandi: cui facile credas, quod ante auditum cantum in agro Bononienſi videantur. In noſtro agro exeunte Martio, ſi menſis tepidior, ab aucupibus, quotquot conſului, viſæ ſunt. Plerumque ſub finem menſis audiuntur. Toto igitur menſis ferè tempore noſtrates indigent, ut latebris excitatæ & cantum & nidos ordiantur, qui poſt primum cantum uno aut altero ovo impleti ſæpius inventi ſunt. Hirundines quindecimo fere die ab apparitione earum nidos ordiuntur, quod pluribus notum, quia, ſicut apparitio earum ab omnibus adverti ſolet, nidificatio in ruſticorum hominum domibus fieri ſolita, ab omnibus pariter advertitur.

(16) *Verſu* 253. Bartholomæus Anglicus, qui circa ſæculi XIV medium tempus in Britannia vixit, in opere de Proprietatibus rerum, novendecim libris diſtincto, primus eſt, uti exiſtimo, qui ſedecim ova coturnices parere, & partum eas repetere ſcripſit. Author ſuo & ſe-

cuto ſæculo magni nominis fuit, quod ex ejus operis verſione Gallica, juſſu regis Caroli V facta, & ex altera apparet ſatis bona verſione Belgica, quæ inter primos Typrographiæ libros ſub finem ſæculi XV Harlemi edita fuit. Multa de rebus ruſticis monita continet hoc opus, quæ vulgi noſtratis memoriæ in hunc usque diem tradita experior. Non deberet vero ab ornithologis creditum fuiſſe, quod ſuper coturnicibus ſcripſit, bis in noſtro, bis in altero orbe parientibus. Verius, quod de ovorum numero tradidit. Sedecim ab aucupibus noſtris non ſemel inventa ſunt, ſed is heroicus numerus, & partus avium vegeto ævo fœcundiſſimarum. Juniores & ævo defectæ ova pauciora creduntur parere. Atque ad eam ætatis differentiam, alteramque a turbatis nidis ortam in aliarum etiam avium partu aſpici debet. Inde non cogitantibus de vario avium partu toties diſceptatur.

(17) *Verſu* 274. Diu veroſimilius eſſe duxi, coturnices partum non repetere, perdicum, quibus ab omni ævo perſimiles & quaſi congeneres habitæ ſunt, aviumque aliarum volucres pullos alentium & ſemel tantum parientium exemplo in hanc opinionem deductus. Sed ut corvi per omnem æſtatem, & ſicut perdices per hiemis etiam maximam partem pullos volucres comitantur, ita coturnices cum pullis volantes non videntur, eosque bene volucres a parentibus deſeri, ego, & aucupes vicini mei, ad hoc attendere juſſi, experti ſumus. Invenerant in avenaceo jugere, ſpem meſſis non faciente, duos coturnicum nidos undecim paſſuum intervallo a ſe diſſitos. Rariſſimam ſegetem ad faciendum fœnum demeſſuri, partem agri nidos habentem avibus intactam reliquerunt. Et videbatur ſeges in illa denſior, ſed cum cæterum agrum circa idus Junias demeſſuerant, fœnum facientibus pulli apparuere perexigui. Erant illi progenies nidi unius, in altero matrem ovis incubantem viderunt, & mihi ipſi oſtendere, quæ & illa ova die menſis vegeſima ſexta excluſerat. Ut vero utraque progenies in jugere, foſſis li-

licet latioribus clauſo, ſe contineret, in parte jugeris demeſſa, ſtantique ſegeti vicina, nonnihil ceſpitis inverſum factumque nigrum eſt, cui areolæ indies grana ſaracena & cannabis, limaces, locuſtas & vermiculos conſciſſos injecimus. Præſtitaque copia utrumque nidum non modo continuit, ſed & comeſta cibum avibus proprium docuit. Viſæque ſunt obvia illa dape in tantum gaudere, ut cum foſſas pulli volatu jam tranſcenderent, ad annonam paratiſſimam identidem & jam maximè volucres reverterentur. Sed qui tamen parentes viſi ſunt deſerere, prout unaquæque avis viribus ſuis confideret. Minuebatur indies familia: & parentes utriusque nidi per aliquot dies quinque quatuor & tribus tandem maxime involucribus pullis cincti per agrum ſubvolitantes videbantur, licet hi quindecim, illi undecim ante pullos oſtendiſſent, circaque Quintilis idus tardiſſimus etiam partus ſe diſperſerat. Utque progenies utraque ſe removiſſe in longinquum crederetur, duo tantum mares circa agellum clangere poſt ſunt auditi. Vocesque videbantur aucupibus meis eædem, quas ab ineunte Majo audiverant. Credi igitur poteſt, tum de altero eos partu ceciniſſe. Partumque fœcundiſſimas matres repetere, non modo cantus marium, ad dies primos Septembris continuati indicant, ſed & pulli circa idus Septembris involucres, a me ipſo & centum aliis viſi. Pullique feri eodem, quo primi partus numero, conſpiciuntur, unde neque ob turbatos ſæpe nidos a parentibus dilati, neque pulli pullorum videantur. Et certum habeas tam, quam quid in ulla re certum eſt, coturnices non modo, ſed & feros alites quoscunque partum non dare eodem quo nati ſunt anno. Unde enim in primis coturnicum nidis quinque ſex & ſeptem ſæpe ova reperiuntur, niſi ab anni prioris ſobole nondum ſatis valida edita fuiſſent? Sicut in omnis generis animalibus, ita & in volucribus natura certa habet pubertatis initia, certaque maximæ & defectæ fœcunditatis tempora. Quæ & aliæ notiones univerſales, licet captu faciles & undique bonis ingeniis obviæ, quoniam tamen ſæpe non con-

ſiderantur, in ſtolidam credulitatem & vaniſſimas opiniones viros ſeducunt etiam doctos, & verum cernere digniſſimos.

(18) *Verſu* 284. Inter varias cauſas, quæ captivis coturnicibus brevius, quam feris, ævum faciant, cibi neceſſarii penuria videtur maxime ſpectanda. Feras muſcis locuſtis vermibus & cochleis veſci oſtendimus. Quid earum rerum in cavea detentis datur? ex captivis igitur avis vivacitatem metientes, argumentis nituntur, ut leniſſimo verbo utar, inconſideratis. Neque conſideratius eas brevis ævi Artemidorus judicavit, ob rixoſam naturam, cujus ſomniorum interpretis ſententiam laudat Guenaldus, avem non modo rixoſam ſed & triſtem agnoſcens. Avis vivaciſſimis oculis, perpetuo fere, vel & in caveis cantans, & quam Guenaldus avium laſciviſſimam habet, qua ratione triſtis ab illo judicetur, non video. Neque ex captivis ægre ſortem ſuam ferentibus veram ejus naturam vidit Artemidorus. Rixas & lites libera coturnix non amat, ut quæ vitam omnem cum ſolo propemodum conjuge tranſigit in terris avem hieme ſopientibus. Quæque in auſtralibus terris Artemidoro viſa eſt, per ver & autumnum congregatur, ſociabilis igitur eſt & ſui generis amans. Et ſi natura rixoſior eſſet, quæ in caveis ſine ſocia detinetur, vivacior Guenaldo quam libera videretur, Artemidorum tamen laudanti ſine exceptione. Ego coturnicem, quæ cum pluribus ſociis captiva detinetur, licet triſtem minime vidi, irritabilem & pugnacem video, neque tamen exinde, uti Artemidorus & Guenaldus, conjector avem eſſe brevis ævi. Pugnacitas cordis vim oſtendit, eoque meliore nixus argumento, coturnicibus Ovidius ævum prorogavit, easque ad Vulturis Milvii & Graculi annos pervenire miratur. Erat Ovidii tempore, quod aliunde quam ex ipſo ſcimus, magno Romæ ob pugnacitatem in pretio, & Auguſto Cæſari avis in primis accepta, quod effeciſſe potuit, ut ad cibos avi neceſſarios ſagacius à cuſtodibus aſpectum fuerit. Erantque Romani avium æſtimatarum ſagaces & ſolliciti cus-

cuſtodes: quod ex turdis docemur, gregatim diu in ornithone paſtis, indeque pinguibus ad cibum divenditis, quod eorum peritiam eo magis mihi oſtendit, quoniam noſtrates, ſæpe licet experti, turdum ex gregibus autumnalibus captum vix quindecim dies vivum in cavea detineant. Sed qui in conſervandis turdis felices non ſunt, plerasque avium & coturnices etiam diutius ſervare docti ſunt, quam prioris ſæculi Romani. Ut hoc ex omnibus avibus viſum eſt, ab Olina & a me deſcriptis, videatur etiam ex coturnicibus: quibus in cavea ſæpe decennium, ſemelque (quantum ad notitiam meam pervenit) duodecim annos noſtrates dedere; cum Olina illas intra quartum aut quintum annum mori docuerit. Sed ad Ovidii teſtimonium reſpicienti, veteres Romanos in conſervandis coturnicibus nos ſuperaſſe, credibile eſt. Scimus enim, quantum ævi a veteribus plerisque vulturi Milvio & Graculis tributum ſit, quibus coturnix ab Ovidio accenſita longius videtur tempus oſtendere, quam biluſtre aut duodecim annorum. Ovidius deinde argumento ſatis phyſico ſibi perſuaſerat aves natura pingues propterea ſæpe anus fieri, quod in captivis ſæpe prælio exercitis hoc naturæ vitium corrigi deberet. Quantum vero coturnices in anguſto carcere detentæ, ſaracenis tantum & cannabis granis nutriri ſolitæ patiantur, ex gallinacei generis avibus docemur: quæ, ſi per hiemem ex villis in tabulata urbanæ domus transferuntur, largiter licet & ampliore in loco arenisque ſubſtrato paſtæ, macreſcunt, ægrotant, & languentiſſimæ ad villas veris tempore remittuntur. Nulla certe in tabulato, ſolibus licet expoſito, & quantacunque cura paſta, ad annos ſexdecim conſeneſceret, ad quos ruſticam Gallinam perveniſſe expertus ſum.

(19) *Verſu* 290. In nulla re coturnicem minus novère ornithologi, quam in moribus cognitu maxime neceſſariis, quippe qui ad generationem, earumque perpetuationem ſpectant. Mares omnium avium laſciviſſimos eſſe, mares multa conjuge luxuriare, mares denique in hoc

Digitized by Google

unico genere perraros eſſe, ſunt qui, hujus rei certiſſimi tanquam, docuere. In quibus paradoxis opinionibus omnibus amplectendis, quarum tamen aliquæ ſecum videntur pugnare, Guenaldus cæteros inter ſcriptores excellit. Negat ullos in hoc genere conjuges videri, mares laſciviſſimos multis conjugibus non modo ſufficere, ſed ex ea naturæ ſingularitate avium harum frequentiam deſignat. Videamus vero, an non altera illuſtriſſimi viri opinio alteram deſtruat. Demus, mares immodice laſcivos eſſe, quid de fœminis ſtatuendum? a maribus, ſicuti earum fratres productæ, nihil immodicæ libidinis a communi natura acciperent? Quod ſi cum iis, ſicuti cum animantibus cæteris, actum & pari natura uterque ſexus præditus fuit, fœminis in vexam & perniciem tributum eſt, quod ſapiens naturæ inſtitutum credit Guenaldus. Eſſent miseræ virgines innumeræ, quæ mares non invenirent; eſſent, quæ ad unum alterumque ovum invento mare, deinde oblitæ, deſiderio & libidine furentes nidum proprium deſererent, alterumque ditius impletum turbarent, quæque rariſſimum conjugem ad ſedecim fœcundanda ova invenerant, incubationis tempore non haberent, a quo paſcerentur, conjugem, cujusque cantu & longæ ſedis faſtidia lenirentur, & cujus auxilio excluſa progenies aleretur. Hæc neceſſaria non conſiderans Guenaldus, quotis fœminis impraegnandis a natura marem exiſtimat tributum? Gallinaceus decem uxores chortales circum ſe prurientes facilè impraegnat. Totidem coturnices, diverſiſſimis nidis affixas, mas ſuus acceſſurus, nidos non modo egregie memor reperiat, ſed & temporis recordetur, quo ipſius opera diverſiſſimæ uxores indigeant. Quid ſi vero tot conjugum maritus, cantu aucupes ad ſe alliciens, in reticulum inciderit, quanta inter fœminas turba, quanta nidis impletis & ſemiplenis oriretur pernicies? Sed ad inſidiantes maribus aucupes non reſpexerit Guenaldus. Mortalitatem aliunde venire poſſe exiſtimet, ægritudinem ſaltem, ſi tot conjuges forte non niſi ſenem repererant, longo ſemper itinere fatigatum; omne enim genus, & mares tam caros in hoc

ge-

genere, Africano itineri exponit Guenaldus. Quam ab iis remotis terris feſſi ipſius mares ad tot uxores veniant! præcipue ſi & in Africa compluſimas conjuges parere juſſerant, uti vero ſimile arbitratur. Maribus quidem in Galliam reverſis inertiam & ſomnum tribuit. Uno lateri expanſis alis ſolem verſus per quatuor horas incumbentes ſcribit viſos eſſe. Sed illum in Gallia, & in hisce terris aſpectum torporem in tot conjugum maritos amoris & incubationis tempore cadere poſſe qua ratione exiſtimat? noſtris maribus unica conjuge contentis id licet. Non recedunt a nidis, niſi ut ſe & incubantes matres paſcant, quas allatis vermibus & cantu conſolantur, & pluvio die utrumque conjugem vidi communi nido incubantem, & quin noctis tempore id idem faciat coturnix, nullus dubito. Utrumque conjugem a nidis loco per noctem excitavi, data mihi hac opera, ne diſcribendam avem minus noviſſe deprehenderer. Ex duobus tamen nidis, quos ſæpius acceſſi, juſtum incubationis tempus diſcere non potui, quod in utroque nido inchoata illa fuerat, antequam obſervatio poſſet inſtitui, ſed unius nidi incubatio, poſtquam obſervata fuerat, ultra diem quindecimum perduravit. Plenior deficiens notitia vetuit extendi poëma duobus verſibus avem notiorem facturis: quos tamen addi poſſe non deſperem, ſi ad ſecundam editionem coturnix noſtra me vivo perveniat. Ex nidis vero mares & fœminas æquo numero prodire, eosdem conjuges, ſi per aucupes licet, partum repetere, poſtque ſerum partum in eodem fere loco ad hiemis diem ſocios manere, ad certitudinem usque didici. Per Octobrem in rapis & terreſtribus pomis, unice per agros eo tempore fruticantibus quotiescunque per canes excitatur coturnix, ſpem certam experiris alterius in eodem jugere excitandæ. Gregem adultarum avium nemo per autumnum aut veris tempore in noſtris agris vidit, & quod ſe conjuges plurium nidorum ſatis ferant, nullaque inter ſe invideant diſſidia aut pugnacitate,

Ex nidis docui, quos ſe contingere vidi.

 (20) Ver-

(20) *Verſu* 306. Imitatione vocis fœminæ avis mares capi Albertus jam docuit ſemiantiquus ſcriptor. Mirum vero, & ſcriptoris ejusdem doctrinam eſſe, mares in hoc genere avium perraros eſſe. Non eos tamen adulteros & ſalaciſſimos ſuſpicatus videtur, propterea quod ad fiſtulam properant fœminæ vocis imitatricem. Eam conſequentiam non vidit exinde ſcriptor logicæ non minus, quam phyſicæ peritus. Viderat ad turdum in laqueis quiritantem turdos ire, adque vexatæ cornicis vocem cornicum greges convenire, & miſerantes id eas facere ſolere, Alberti perſpicaciſſimi viri oculis non opus eſt, ut videas. Unica coturnix ad vocem fœminæ properans, ſalax propterea & adultera eſſe coarguitur, tanquam fœminæ vocis ſignificatio melius a ſcriptoribus illis ſciolis, quam ab alite intelligatur. Conjugem deinde audientes mares fiſtulam non vocare, res eſt aucupibus pernota.

(21) *Verſu* 323. Cum nihil unquam popularibus noſtris tam injuſtum accidiſſe videbatur, quam bellum per Cæſaris minas hac hieme nobis intentatum, omnis ordinis cives ipſo præeunte magiſtratu arma induere, & ad tacticam tractare jubebantur. Quod licet ſatis per terras etiam vicinas notum ſit, eveniet tamen, quod hujus rei notitia obliterata carmen ſuperſtes ad lectorem perveniat, avium magis quam hiſtoriæ Belgicæ curioſum. Viſum igitur neceſſe, per notam repetere, ſexaginta annis propinquos, & ſexagenario majores, non modo arma tuliſſe & ad tacticam tractare didiciſſe, ſed & ea arma in hunc usque diem, pace licet propemodum reſtituta, ferre & ſtatis per ſeptimanam diebus tractare. Vacuum aliquod igitur nunc tempus ſinit, ad aves meas reſpicere, & ad editionem Lyricorum meorum, quæ Groningæ prælo dare inchoaveram. Tyrtæum & Alcæum Lyricos poetas & milites fuiſſe, ſatis, credo inter omnes conſtare, qui hæc noſtra legere voluerint.

STUR.

STURNUS.

Sturnus avis varia eſt pennis, mutatque colorem
Non modo, ſed cantum, ſed quoque ſæpe cibum.
Nec ſolita ſe ſede tenet: nunc incolit urbes,
Nunc rus: & coelo, cum riget annus, abit. (1)
Vere redit, ſed veſte nigra: nec piſitat, alta
Sed ſuper æde, tumens gutture, dulce canit.
Dulce canit, noſtris ſaltem auribus. Italus author
Ridet inargutum poſſe placere ſonum.
Et ſtreperis Latias vexari vocibus aures
Scaliger, ipſe author non numeroſus, ait. (2)
Natus in Urbe tamen cantantes Olina laudat;
Utque marem eligeres, hunc tibi noſſe facit.
Omnibus & Latii, noſtris velut obtinet oris, (3)
Pendeat ad ſummos ut brevis olla lares.
Olla, domus Sturno, pituræ oſtenſa volucri,
Ut prope, quæ nidum dant loca, vere canat.
Sed quia paſſer idem noſtratibus obtinet oris,
Forte habet hoc, hominum tecta quod hoſpes amat.

Quidquid id eſt, laudare licet, recalentibus auris
Cognata merulis quod tibi voce canit.
Cognatum merulis ſturnum forma arguit omnis,
Et cibus & varios vox imitata ſonos.
Arguit & roſtrum: ſenibus flaveſcere ſturnis
Quod ſolet, & merulæ vincere fertur ebur.
Vincit & hoc merulam, linguis quod ab omnibus ales
Verba hominum docilis qualiacunque refert.
Sed tamen a cantu laudatur latius, ut qui
Omnem avium cantum dicitur ore ſequi.
Quam placet hinc Gallis, amiſſo nomine priſco,
Cantatorque omni dictus ab ore, docet. (4)
Excipitur nido implumis, cantare docendus,
Fiſtula nec pullum juverit, ante ferum.
Pabula nulla ferè ſpernit, prope pamphagus ales:
Vermiculos inter cætera pullus amat.
Sturnus apud Veteres caveis fuit altus oryza,
Et cibus hic volucri non alienus erat.
Vidimus Inſubriæ ſectantem hæc pabula campis,
Sed cibus involucri durus oryza foret.

Aſ-

Aſpice vere novo paſcentes pignora matres,
Volvocem & erucas nil niſi nidus habet.
Arboribus primum cibus hic & edulibus herbis,
Poſteaque in pratis crebrior eſſe ſolet.
Cumque dies nidis, quos partus tertius implet; (5)
Tranſierit, ſturnos non niſi prata tenent.
Prima per extremas videt agmina Junius horas,
Primaque nonnunquam Julius ire videt.
Utque per æſtatem ceraſos, à Pleiadis ortu
Sectantur baccas ſorbe rubelle tuas.
Sola videtur hiems, hiemem quibus aſpicit orbis,
Paſcere avem inventis culta per arva cibis.
Eſt, ubi arundinibus, campiſque moratur oryzæ,
Eſt, ubi meſſorum grana relicta petit.
Eſt, ubi oves ſequitur ſub aprica rupe vagantes,
Et quoque bacciferis ſepibus eſſe ſolet.
Sic per Picenos, quos Adria ſuſpicit, agros,
Mite hiemis tempus, grex mihi viſus, agit.
Circa Urbem Tiburque ovium per terga ſedentes
Vidimus, inſectis quæ vel & implet hiems.

Per

Per Batavas Moſæ ripas, villatica circum
Culmina, ſe per agros, perque fimeta tenent. (6)
Nos, licet appoſitos Batavis, ad prima relinquit
Frigora, quæ Bacchi lenia menſis habet.
Quam procul ales eat, non eſt mihi dicere, ſi non
Seceſſum & latebras per loca ſola petat.
Sed puto, mitis ubi eſt, volucrem vicinia ducit,
Quàque riget, latitat plurima ſicut avis.
Frigida Saxonia eſt, circumdata montibus altis,
Quæque minus gelida eſt, non prope terra ſubeſt.
Illa igitur terrâ ſcopulis ſe condere viſa eſt,
Quà findens ſcopulos rima dat alta locum.
Eligiturque locus, qui ventum & frigus & imbres
Arcet, & a primo lumina ſole ferat.
Frigus ibi edormit, tenero circumdata muſco,
Et niſi cum multis, compare juncta ſuo. (7)
Non tamen amittit, mutatas antea plumas,
Dedita quas ſomno plurima mutat avis.
Forte ubi mons procul eſt, templis conduntur & altis
Turribus, aut tacitis tecta per ipſa locis.

Sunt

Sunt quibus hoc, dubium tanquam abſoret omne, re-
Et res credibilis, certaque pene mihi eſt. (fertur,
Nam qui alias, ubi prima dies poſt frigora ridet,
Protinus haud una ſturnus in æde canat?
Nocte una Batavis ad nos referatur ab oris,
Non tamen ad Gothicos tam cito tranſit agros.
Atque ibi, vere diem tepidum referente, per ædes
Improviſus, ut hic, cantor ubique ſedet.
Sed velut aëria de turre & ab ædibus altis,
Et redeat terris, quas minus urget hiems:
Sic videt hunc lacubus ſtagniſque reſurgere Cimber,
Nam niſi ſubter aquas non ferat acre gelu.
Connexas piſcator aves pro piſcibus aufert
Retibus, admoto queis data vita foco eſt.
Qui negat hoc Gothica viſum eſſe in hirundine, ſpernet
Id quoque de ſturnis, Cimber Olaë, tuis: (8)
Et loca juncta peti, volucremque latere negavit,
Quod videt apricis hanc hiemare locis.
Miratur Tiguri latitantem ad frigora brumæ,
Cælo hibernantem Gallia nempe tuo.

Mi-

Digitized by Google

Miratur teſtem Linnæum ſcribere poſſe,
Tranſigat Arctois quod breve tempus agris. (9)
Sicut homo, terra non noſcitur ales in una,
Altera terra homines, altera mutat aves.
Quisque gregem vidit fugere aut latitare volentem,
Et quod diverſa tum quoque lege volet.
Circinat æſtivas, cum prata ſupervolat, auras,
Circa hiemem reſonus grex, velut haſta, fugit.
Si quibus arboribus tunc incidit, incidit iſto
Impeteque & ſtrepitu, terror ut eſſe queat.
Vere gregem nemo videt aut per inane redire,
Verius hunc latebris unde fuiſſe putes.
Sæpe per extremas ridens Februarius horas,
Sæpius incipiens Martius audit avem.
Nullas inſidias veniens, fugiensque, moratur,
Cumque venit, veris nuntia, cuique placet.
Nec numeratur avis noſtratibus inter edules,
Eſca placens Græcis Aſia viſa tuis. (10)
Haud tamen horrorem data menſis fecerit: author
Quod tuus, ut certum, Felſina docta refert.

Fur-

Furcis & crucibus noſtro nunquam inſtitit orbe,
Uſa cadavereo nec mihi viſa cibo.
Eſtque data & menſæ, ceraſo ſuper arbore cæſa
Junior, & ſucci dicitur eſſe boni.
Junior eſt furvo per corpora tota colore,
Iliacus qualem tergore turdus habet.
Sed ſimul oſtendit ſe Plejas in æthere, furvus
Ille color niger eſt, albaque puncta vides.
Inter aves ſturno cunabula prima ſtruuntur,
In quibus ante idus Martius ova tegit.
Haud volucres plerasque tibi perſuadeat ullus
Edita vicenos ova cubare dies. (11)
Plus opus eſt multis, minus & quoque temporis: omnes
Exiguæ brevius poſcere tempus amant.
In quibus eſt ſturnus. Cubat hic ſua plurimus ollis,
Ovaque ter quino cernis hiulca die.
Utque domos ſequitur, ponitque ſub imbrice nidum,
Nidus & hic ſilvis arboribusque datur.
Sed truncos ſubit inde cavos, dat & ova vetuſtis
Cornicum nidis, & quoque pica tuis.

Non

Digitized by Google

Non lutat hos reficitque lares nidumque per altos
Diſpoſitum ramos condere neſcit avis.
Ter parit, & toties terras fœcunda per omnes
Septem ova & nidis non ſemel octo dedit.
Inter aves parvas tamen eſt, quæ prorogat ævum,
Fertur enim, parvas vivere ſine brevi.
Vicenos caveis & ſex ſervatur in annos,
Ut novus Amſtelia ſcriptor ab urbe docet. (12)
Luſtra dat alter avi quatuor. Credendus & ille:
Mille datas caveis vixerat inter aves.
Verum omnes alii, quorum ingens copia, ſturnum
Septem annos ultra vivere poſſe negant.
Conſenſûs cauſa eſt, ſeſe exſcripſere, quod omnes,
Et longum, expertos conſuluiſſe, putant.
Experti, terras quos conſuluiſſe per omnes
Eſt opus, experti talia verba dabunt.
Plus habet in caveis, quam vulgo creditur, ævi,
Et plus, quam caveis, libera vivit avis.
Eſt mih noſtratum Sturnus modo captus in agris,
Cui caput incanum longa ſenecta dedit.

Plumis puncta nigris interſtita, latius albent,
Perſimilem reliquis cætera cernis avem.
Circum oculos rugæ, caput & contractius omne
Corpus, & ætatis ſigna dat oris ebur.
Multiparas igitur vivaces inter habenda eſt,
Si verum eſt, toties quod reparetur avis.
Quatenus hoc verum eſt, aliorum publica fama,
Non temeranda mihi publica fama, docet.
Famaque credatur, cum plurimus æthere toto
Sturnus, & Europæ cuncta per arva volat.
Ales & ille frequens gelidas tepidasque per oras,
Per ſimiles noſtris, frigore ſæpe perit. (13)
Menſibus hibernis Gothiæ ſe ſervat in undis,
Et tepido cœlum tutius orbe tenet.
Sed tectam imbricibus penetrabile frigus adurit,
Nec ſemel immenſa ſtrage notavit avem.
Ultima vix cœlo Sturnum ſpectaverat æſtas:
Nulla magis volucrum ſenſerat acre gelu.
Credidimus noſtros carituros alite campos,
Meque greges vita non revidere mea.

Audiimus Sturnum nec & hoc prope vere canentem,
Et revidet magnos Julius ecce greges.
Neve greges dubitem pullis conſtare renatis,
Turba docet viſco plurima capta meo.
Tam ſubitos igitur volucris recreata per auctus,
Non mirum eſt, toto quod ſit in orbe frequens.
Dicitur Americæ loca per diverſa videri,
Quodque ſatis mirum eſt, pene colore pari:
Utque Magellani, regiones percolere urſæ
Sidere ſubjectas, Gallia & ante tuas.
Dicitur & tepido rura adſita paſcere Nilo,
Multaque Cinyphios turba frequentat agros.
Quàque Jubæ regnum Nigritanas attigit oras,
Plurimus ut noſtro ſturnus in orbe volat.
Tranſiit & zonam per litora Maura flagrantem,
Tranſiit & fines aurea terra tuos.
Vicinusque Indis, Maurorum regnat in agris,
Quos, tanquam Batavus, credidit eſſe ſuos.
Eſtque frequens Aſiæ, quod Homerus cantat, in oris:
Viderat immenſos non ſemel ire greges.

Nu-

Nubem avium haud alias tam pinxerat ille ruentem:
Sed cur Teutonico nomine dixit avem? (14)
Omne latus Scythiæ cum percolit ales aquoſæ,
Et Scytha trans Iſtrum Teutone natus erat,
Haud unum populis quoque Græcia nomen ab illis
Sumpſerit, ut volucrum nomina plura docent.
Nomina præcipuè volucrum, magis uda Getarum,
Quam quas alta jugis terra Pelasga videt.
Viderit Æſonides per Colchica litora ſturnos,
Græcus & Æmonium nauta ſecutus iter.
Cumque greges, patriæ ſcopuloſo in litore raros,
Nauta redux Aſiæ ſæpe videret agris,
Dixerit hos Scythico Spares de nomine; quodque
Teutonici Staren cernis habere ſonum.
Quidquid id eſt: nubes avium quas vidit Homerus,
Viderit haud ſcopulis Hæme vel Oeta tuis.
Aptior his gregibus Mæandro proxima tellus,
Campus Orontæa quique rigatur aqua:
Mæoniæque ferax regio, perfuſa Cayſtro,
Camporumque patens Aſia quidquid habet.

Digitized by Google

Vixit in his Vates, ſi non fuit ortus, in oris, (15)
Rarius aſpectam non ita norat avem.
Proruere in Troes Agamemnona dixit & Argos,
Impete brumales quo prope Spares eunt.
Sed, quæ de vita tibi quicquam oſtendit Homeri,
Oſtendat, ruri commoda quam ſit avis.
Oſtenſum hoc certè vel & hoc noſtratibus anno, (16)
Quo caruit foliis arbor & herba ſuis.
Ultima vix volucres cœlo quæ viderat æſtas,
Et raras agris hoc quoque vere dedit,
Certa tot omnigenis inſectis ſemina fecit,
Certa ſit unde ſatis arboribusque lues.
Quisquis ali nidos per Aprilem viderat hortis,
Jure gregem ceraſis poſſe volebat emi.
Diſcite venturæ poſt ſturnis parcere leges,
Inquinat aut merdis has avis æqua ſuis. (17)

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

(1) *Verſu* 4. Sturni deſcriptionem a ſingulari varietate ad omnem avem pertinente exorſus, dixeram eum peregrinari, cum annus apud nos rigere inciperet; idque in duabus dixeram editionibus opuſculi, quarum altera in Gallico Eruditorum Diario facta, ita publica eſt, ut, qui me nunc avem inter latentes ponere vident, mutatæ opinionis rationem exigant, ſi forte ad prius dicta reſpexerint. Ratioque exigetur eò juſtius ab iis, apud quos Sturnus inter transfugas aves recte numeratur. Dicam igitur, quod correxi, verius tantum eſſe de Sturno noſtrate, quem auſtralis cœli ſturno ſimilem credidi, cum me ad ſcribendas aves accingerem, deque ſturno opus, viginti aves complexurum, inciperem. Didiceram ab Ariſtotele & Plinio, eum verſus hiemem, ſed tantum in vicina peregrinari. Videbamque, ante ſexdecim annos opus incipiens, exeunte menſe Decembri ſturnorum gregem ad Batavas Moſæ ripas Gaudam inter & Roterodamum. Credebam igitur patriæ ſturnos, (quos menſis October ante ſuas idus & ſæpe prius cœlo noſtro videt abeſſe) ad Batavos ire, parisque cœli viciniam: iis ſturnis diſſimiles, quos Georgius Agricola in ſcopulis Misniæ, & quos Jonſtonus in Sileſia ſub imbricibus turrium, intraque cavos altarum ædium muros per hiemem ſopitos viderat. Quoties verò cunque hieme exeunte ſerenior dies unum mihi alterumve ſturnum in tectis urbis noſtræ oſtenderet, dubitabam gregem adveniſſe; & aliquas hujus gentis avium latere, aliquas peregrinari ſuſpicabar. Olai nempe Borrichii opus de animalibus hiemè ſopitis inſcriptum, in manus meas inciderat, Sturnumque docuerat ſub aquis Daniæ, per hiemem latere;

 hi-

hirundines propterea, quas latere certum mihi erat, ſturnis noſtratibus non nimium differre augurabar. Ob gregem tamen hibernum in Batavis viſum, de ſturno peregrinante nihil mutandum duxi, ſecunda licet hujus avis editio, centum eſſet verſibus auctior facta. Sed vix illa ante quadriennium publici juris fuerat, ſturnos plurimos in hibernis latebris domui urbanæ meæ ſappoſitis vidi. Tertiam ſturni editionem non ſecuturam fore veritus, Merulæ meæ, cujus reviſio in manibus erat, & quæ avis ſturno ſatis cognata ducitur, attexui, quod de ſturno videram. Cumque Merulam meam ſecunda vice editurus eſſem, a typographo Roterodamenſi ad colligendas aves a me deſcriptas invitor. Sturnum quidem propterea in manus reſumpſi, auxique verſibus plus quinquagenis, ſed qui ad alteram avis notitiam exinde partam faciunt, ſturnumque docent maxime ob frigus pati, & maxime paſſum fuiſſe a frigore anni octuageſimi quarti. Dubia priora de hibernis latebris in opuſculo reliqui, ex quibus liquebit me pedetentim avem noſſe cœpiſſe, neque ad aves carmine deſcribendas veniſſe, ut novis & paradoxis opinionibus miracula facerem, aut ut ullam mihi in carmine licentiam contra hiſtoricam fidem arrogarem. Addidi tamen de hibernis avis latebris paucos verſus minus dubios, ſed qui ſimul alios mores notiores faciunt, & qui pertinere poſſunt videri ad ſturnos ſub ſeptentrione certe latentes. Dubitantibus propterea de avis latebris tam diverſis, reſpiciendum eſt ad auſtralis cœli ſturnum non minus per hiemem varium. Ex Græciæ & Italiæ montibus ſecedens in apricam viciniam, perennat in Gallia, nulloque patriam ſeceſſu fugit. Sed licet id per omnem Galliam de ſturno verum eſſe Guenaldus affirmet, an in Arvernia avem & Cevennæ montibus per hiemem inveniat, valde dubito.

(2) *Ver-*

(2) *Verſu* 10. Julius Cæſar Scaliger adverſus Cardanum ſcribens dixerat argutas & Italas aures vexari ſturni vernantis carmine. Idque homo ad Benacum in agro Veronenſi natus in Gallia ſcripſit, ubi eo, ſicut noſtro tempore ſturnus plus quam alia avis ob cantum in caveis habebatur. Moroſitatem igitur ſuperbam, vulgoque ſemper contraria dicentem, quam homo alias doctiſſimus per judicia ſua nimis ſæpe oſtendit, & hujus judicii cauſam fuiſſe exiſtimo. Sed ſi optimis auribus ſuæ auris judicium de ſturni cantu approbarit, certe iis non probet, carmina a ſe ipſo data, numeroſa eſſe. Eaque tam immenſa ſcripſit multitudine, ut vernam ſturni garrulitatem per ea longe ſuperaverit.

(3) *Verſu* 13. Ollas, quæ Sturnorum nidos invitant, Itali non modo altiſſimis ædium muris, uti noſtrates, ſed & arborum ramis altioribus appendent. Quod, licet Aldrovandi tempore novum & inſolitum, apud Batavos tantum fieri ab ipſo ſcriptum ſit, viginti circiter annos poſt ejus obitum Romæ ſolenne fuiſſe oſtendit Olina, ſturno ſuo appingens ollam, iis ollis, quæ apud nos in uſu ſunt meliorem. Additæ enim a figulo anſulæ pertuſæ, quibus virga immittatur, parentibus ad nidum accedentibus inſidenda. Dicit tamen Olina vaſcula a Batavis inventa fuiſſe.

(3) *Verſu* 30. Gallis Sturnus, *chanſonnet* ſive cantator, dicitur. Eſtque ita domeſticus Gallorum cantator, ut Pariſiis vix ſine Sturno ædiculam videas. Caveæ ſunt magnitudine & per omnia ſimiles iis, quæ apud nos captivis alaudis inſerviunt. Credo Sturnos operoſius quam alaudas ali. Olina Sturnis conſciſſa corda, omnemque Luſcinia-

 rum

rum cibum, præſcribit. Aviſque vermivora oſtendit hæc ſibi neceſſaria eſſe. Quanti vero pretii apud Gallos, & jam ducentis ab annis cantator Sturnus ſit, videtur apud Belonium, qui in neſcio qua Galliæ curia nobilem litem fuiſſe ſcribit, intentatam ab homine, qui Sturnum educatori pullum dederat, merulamque receperat. Merulam ſe accepiſſe, & docuiſſe, contendebat educator, merulasque diſcipulas Sturnorum pullis colore ſimillimas eſſe. Et vero ſimile eſt, educatorem cauſa non cecidiſſe.

(5) *Verſu* 43. Partum tertium Sturnis Aldrovandus dant & Olina; noſterque Nozemannus eos bis ad minimum ſcribit parere. Differt ab Aldrovando Nozemannus in numero ovorum. Septem ille & octo, hic quatuor tantum & quinque Sturnis tribuit. Sicuti vero aves juvencas ab adultioribus numero ovorum differre ſuperius docui, uterque poteſt credi verum ſcripſiſſe. Joſephus Zinannus, qui de nidis & ovis avium peculiariter ſcripſit, Aldrovandi ſententiam tuetur. Sturnis & ille tertium dedit partum. Eorum experientiam non meam in verſibus ſecutus ſum, & veracem exiſtimo. Aves ſunt partu admodum præcoci, quibus tamen nidificandi tempus extremis Junii aut primis Julii diebus præteriit, ut qui eo ſemper tempore congregatæ videntur.

(6) *Verſu* 60. Dixi me in Batavis Sturnorum gregem exeunte menſe Decembri vidiſſe. Idque licet interdum in Bataviæ parte maxime auſtrali eveniat, intelligo tamen ſolennius, & ad Moſam, Sturnos latere, ſemperque latere per eam Bataviæ partem quæ borealis vocatur. Hotunus ibi in ſtramineis ſcribit ruſticarum ædium tegminibus ſopitos

quot,

quotannis inveniri. Tam exigua igitur locorum intercapedo tantam inter avium naturas differentiam facit! Borealis enim Bataviæ principia a Moſæ ripis vix decem diſtant leucis.

(7) *Verſu* 74. Sturnos Saxonicos in anguſtis montium ſpecubus, inque cavis nonnunquam arboribus per hiemem latere & ſopitos inveniri, ſcripſit Georgius Agricola, idque ineunte ſcripſit ſæculo decimo ſexto. Tanti viri authoritatem neque a Gesnero neque ſatis ab Aldrovando conſideratam fuiſſe, nulla alia poteſt cauſa excogitari, quam quod in ſuis regionibus id Sturnos facere non viderent. Ejusque quantivis pretii opus *de animantibus ſubterraneis*, ab illis, qui de avibus recentius ſcripſere, nequidem inſpectum fuiſſe apparet.

(8) *Verſu* 94. Olaus Borrichius, quem in verſibus (ab Olao Magno eum diſtincturus) Cimbrum Olaum voco, Olao Magno cognitionibus undecunque partis inſtructior, inter eruditos Danos unus ex paucis eminentioribus, de *animalibus hieme ſopitis* commentarium dedit, quem anno ſæculi prioris octuageſimo prælegit Hafniæ non modo academiæ, ſed & aulæ proceribus, & qui commentarius Hafniæ cum aliis docti viri opuſculis argumenti ſingularioris anno ſæculi hujus decimo quarto editus eſt. Sed opus editum, multaque de avibus cognitu digniſſima continens, ita ſcriptoribus avium recentioribus non agnitum eſt, ut primus in avibus meis Olai hujus Secundi teſtimoniis uſus videar. De Sturnis, ut rem in Dania percognitam & quotannis viſam, oſtendit, eorum inter ſe connexorum manipulos ſtagnis lacubus & paludibus extrahi, quoties fere piſcatores anguillarum fuſcina glaciem per-

tunderent, eosque manipulos foco admotos ex hiberno ſuo ſomno ut alias complurimas aves expergiſci, pari modo aquis extrahi ſolitas. Poſſetne homini docto apud gentem & aulam ſuam æſtimatiſſimo in mentem veniſſe, ita ſcribere, ita coram auditoribus patriæ ſuæ nobiliſſimis loqui, ſi ſe falſa loqui aut crediderat aut dubitaverat?

(9) *Verſu* 100. Quod ſi Sturnus Gallicus per omnem annum in cœlo ſuo perennet, vivat & vigilet, noſterque menſem ultra quartum cœlo abſit & ſopiatur, non eſt mirum per tempus admodum breve in cœlo Suecico Sturnos videri. Alias aves ſemeſtri, alias trimeſtri tempore latere Ariſtoteles dicunt & Plinius: id quidem illi de varii generis avibus, prout nempe una ſpecies altera alacrior, alteraque eſſet vegetior. Sed & ea differentia in ejusdem generis avibus obtineat, neceſſe eſt, ob maximam patriæ indeque & earum differentiam. Non enim ſola corporum inertia, ſed & frigus & cœlum ſuum aves ad latendum invitat. Homines hyperborei longiore ſomno indigent, & graviore premuntur, quam quibus ſub auſtrali cœlo experrectior eſt animus, & alacrior omnis natura. Non moror Franciscum Cineſium, qui ſub extrema Arcto homines ſopit ſomno quinque menſium continuo. Quadrupedia certè ſub eo cœlo ſopiuntur longiùs, quam quibus ſub Jove minus duro per hiemem ſomnus eſt neceſſarius. Ecquod igitur argumentum, aves non ſopiri, quod de ſomni mora differant teſtes?

(10) *Verſu* 112. Galenus Sturnos inter attenuantes optimique alimenti cibos laudat, cibumque alio loco calculoſis utilem dicit. Cum vero Sturni, ut omnes edules aves, pro locis bonitate ſaporis differant, ſcien-

Digitized by Google

ſciendum eſt, Galenum Pergamo natum, in patria plurimam vitæ partem tranſegiſſe, indeque videri Aſiaticos eum Sturnos laudaſſe. Quod ſi diſcretum eſſet a medicis, de judicio Galeni apud Aldrovandum litigantibus, minor inter eos lis fuiſſet, litemque Aldrovandus melius dijudicaſſet. Avis eſt vermivora & baccivora: ſed quibus baccis, uvis, olivis, utrum ſorbis per multum tempus utatur; varium inde ſaporem variamque inde ſaporis bonitatem ſequi neceſſe eſt. Differre judicia credit Aldrovandus, quod alii de junioribus, alii ſententiam de vetulis tulerint. Tantum juniores Sturnos ab aliis, & ab aliis tantum vetulos guſtatos fuiſſe cum credat, omnes judicii præcipitis fuiſſe, exinde ſequeretur. Neque ſanius examinat, utrum montani campeſtribus Sturnis præferendi ſint? ignoravit tantus Ornithologus avem minime montanam eſſe. Montanis, quæ nusquam ſunt, campeſtres dicit præferri, tantaque eos ſuavitate haberi, ut vix a turdis diſcernantur. Quod ſi ita eſſet, noſtrates Sturnos quantivis pretii judicaſſet, eosque ut cibum Batavis abominabilem viſum exponit, quod furcis & crucibus inſiſterent, ſæpeque reorum cadaveribus veſcerentur. Potuit ipſi relatum fuiſſe, Batavos ſui temporis a Sturnis abſtinuiſſe, aliquos etiam abhorruiſſe: ſed propterea quod furcis inſiſterent, incredibile videri debuiſſet Ornithologo, qui ut aves cognoſceret, ſe multum diuque peregrinatum fuiſſe ſcribit, Sturnosque nusquam viderit furcarum cadaveribus paſci. Hodie certe Sturni apud Batavos abominabili illo cibo non utuntur, hodieque eos Batavis in menſam venire ſcribit Nozemannus: capi innumero numero per retia in arundenitis poſita, cibumque autumni tempore in deliciis apud Batavos Boreales eſſe. Credo tamen boreales iſtos Nozemanni Batavos populum minoris ordinis dici debere. Ego ſaltem apud auſtrales Batavos nunquam avem in menſis vidi, quarum tamen lautiſſimas ſatis, & per omnem vitam acceſſi. Neque, ab amicis, qui ruſticantur, Sturnos capi audivi. Saltem in nullis lacuum arundinetis apud noſtrates Groninganos capiuntur, niſi qui rari turdorum laqueis il-

illabuntur, aut ex Ceraſis hortenſibus Julio menſe interficiuntur. Hi ab aliquibus in experimentum guſtus comeſti, præbuerunt judicium, quod in verſibus dedi, de ſapore eorum. Autumnalibus, audio, non abeſſe extraneum illum ſaporem, quem Julius Alexandrinus Cæſareus medicus ſæculo decimo ſexto Sturnis comeſtis dedit, in libris, quos Salubrium inſcripſit.

(11) *Verſu* 130. Aves pleraſque per viginti dies incubare ſcripſit author maximi nominis: credo id illum in Vanello dixiſſe. Sed ſive hanc ſententiam ad ejus magnitudinis aves reſtringit, ſive ad minores aut majores extendit, veritati id minime conſentaneum eſt. Sturnos per ſexdecim dies incubare intelligo ab iis, qui columbaria habent: & aves pleraſque Sturno minores quindecimo die ova excludere dicunt aucupes; idque de compluribus veritati conſentaneum eſſe ipſe vidi.

(12) *Verſu* 146. Sturnos Amſtelodami ad viginti & ſex annos in caveis vixiſſe ſcripſit Hotunus in commentario ſuo Belgico ad aves Linnæi. Avesque vigeſimum annum in caveis expleſſe teſtatur Bommarius: quem Pariſiis credo etiamnum vivere, itaque, ut in verſibus dixi, inter mille datos caveis Sturnos. Vanum igitur aut nullum Olinæ teſtimonium eſt, vitam Sturni captivi ſextum intra annum terminantis. Atque iſtum in vita avium deſignanda ſæpe vanum authorem in verſibus queror exſcriptum eſſe ab Ornithologis ipſum ſecutis.

(13) *Ver-*

Digitized by Google

(13) *Verſu* 170. Sturnos ſæpe aſperarum hiemum frigore per plagas cœlò noſtris ſimiles perire oſtendi in verſibus. Et ſi aſperior hiems ſe ad tepidiores extendit plagas, in quibus cœlum tenent, quin pari & majore forſitan clade pereant, nullus dubito. Quod ſi enim cornices bicolores & nigræ, quæ in his terris per hiemes maximo numero videntur, avesque duriores quam Sturni ſunt, frigore anni octuageſimi quarti ante oculos complurium maximo numero periere, Sturnos credam haud ſecus periiſſe in Gallia, ubi cœlum tenent, & ubi frigus idem æquo propemodum ſæviit rigore. Eſſe poteſt, quod picarum noſtratium inſtar per ſæviſſimum tempus ſe & in eo cœlo condant: ſed licet magno numero congregati ſe conderent, & latentes acre frigus adureret. Sturni igitur, avesque Sturnis congeneres, aut natura perſimiles, tutiſſimæ videantur in illis regionibus, in quibus hiems aut ſemper mitis, aut ita quotannis dura eſt, ut natura jubeat eas ſub aquis ſibi conſulere. Et ſi animalium conſervationi, uti mihi perſuaſiſſimum, ita à natura proſpectum eſt, ex utroque tepido & gelido climate reparentur clades, quæ, per durius frigus intermediis plagis eveniant. Sicuti hiems ultra modum ſæva adjunctis plerumque nivibus ſævit, animalia, quæ cœlum tenent, & a frigore & a nivibus quantum patiantur, colligis, maximè certe a nivibus, quæ cibum imminuendo calorem naturalem imminuunt, quo imminuto faciliùs nervos & fibras ſæviſſimum frigus adurit. Cornices è cœlo labi & aliquas vidimus in nivibus immobiles ſtare, vivas utrasque, domumque & in hypocauſta deductas, cum calorem poſſent recepiſſe videri, cibos circumjectos non appetere. Roſtroque granulum aut carnis fruſtulum ſumentes ſumere id viſæ ſunt, ut ægri propinqua morte in agonis levamen vini guttulam. Pleræque haud ſecius, tantum non omnes, moriebantur: quæque ex plurimis paucæ ſervatæ ſunt, alis in multum tempus mancæ videbantur. Cogitandum itaque, paulo poſt morientibus nervos aut fibras vitæ neceſſarias frigore prius enectas fuiſſe. Indeque mors avibus frigóre morien-

rientibus veniens, indicat, ex latebris ligneis aut ſtramineis non ſemper ſopitas reſurgere. In concavis tabulatis, quæ adverſus pluvias caminorum ſpiracula coronant, latentes vidi, uti in merula mea exponam. Inque ſtramineis ruſticarum domuum tegminibus latitantes per Borealem Hollandiam vidit Hotunus. Quomodo in iis latebris ab acutiſſimo frigore non ad intima usque viſcera perſtrictæ credantur?

(14) *Verſu* 200. Busbequius, ſcriptor magni judicii, Scythas non modo trans Iſtrum & Borysthenem, ſed & trans Tanaim colentes, Germanicæ originis oſtendit ex lingua Germanica etiamnum apud eos ſuperſtite, ipſosque Perſas oſtendit Germanicis uti vocabulis. Eaque & in ſuam linguam Græcos accepiſſe exponit Reitſii noſtri Belga Græcisſans. Certe avium, quæ trans Iſtrum & Boryſthenem frequentiores, quam in Græcia ſunt, complurima vocabula in lingua Græcorum antiquiſſima invenio, quæ Germanicam ſonant originem. Exempli Gratia Tetrao, qui noſtratibus *Oerhaan*, Germanis *Urhahne* dicitur, Atticis Urage aut Urago dicebatur. Quod ſi quis non ignorat, Germanos Orientales, verſusque Pannoniam poſitos linguam aſpirationibus addictiſſimam habere, non dubitat, *Urhahne* pene ut Uragen prönunciari potuiſſe. Adde, quod avem in Moeſia frequentem eſſe ſcripſerit Athenæus, Græcis vero ita raro obviam, ut eam inde crediderit Ariſtoteli ignotam fuiſſe. Vide librum Athenæi nonum.

(15) *Verſu* 219. Homerum Aſiaticum fuiſſe arguebat Aſiæ ora ditior, ideoque cultior ante Europæam Græciam: arguit & validè comparatio ex Sturnorum volatu ſumta. Nam ſi ætatem in Europæa Græcis

cia exegiſſet, ſicuti volatum Sturnorum autumnalem vix aut ne vix quidem noviſſet, eum lectoribus Sturnos vix videntibus non expoſuiſſet. Non videntibus, dico: quia in ſaltuoſis & montanis locis, qualis omnis prope Europæa Græcia, perrari ſunt Sturni. Et Græcorum Aſiatici poëtæ, Homerum ſecuti, Sturnos ſæpe militibus impetum facientibus compararunt, uti apud Quintum Smyrnæum ſæpe, & apud Europææ Græciæ poëtas nequidem ſemel videas. Majus tamen argumentum Aſia prius culta, & commerciis gentium & ſcientiis dedita, & poëtarum Aſianorum antiquiſſimus numerus, Mimnermusque Croeſi tempore vivens, tamque cultis elegis, quam Homerus Epico carmine nobilis.

(16) *Verſu* 226. Dixi in verſibus Sturnos æſtate anni octuageſimi quarti vix viſos fuiſſe: avesque complures muſcivoras, frigore forte pariter extinctas vix viſas fuiſſe, adjungendum eſt. Quod muſcarum culicum & inſectorum reptilium ovis eum numerum fecerit, ut hoc anno vix folium in arboribus niſi æſtate jam adulta viderimus. Volvoces, qui erucæ ſunt circum ramuſculos ſeſe volventes, non modo pomaria, ſed & ſilvas & ipſa querceta ea poſſidebant multitudine, ut ſuo ſeſe numero ex ramuſculis extrudentes ambulantem in ſilvula ſua cooperirent. Aves muſcivoræ, Sturnique ante omnes perrari, ab ipſa incurioſa alias plebecula deſiderabantur: magno ſane argumento, avium numerum hominibus perutilem eſſe. Suntque utiliſſimæ propterea, quod præter oculis noſtris viſa, animantia etiam inviſibilia, & ſaluti hominum nocentiſſima, deſtruant.

(17) *Ver-*

Digitized by Google

hirundines propterea, quas latere certum mihi erat, ſturnis noſtratibus non nimium differre augurabar. Ob gregem tamen hibernum in Batavis viſum, de ſturno peregrinante nihil mutandum duxi, ſecunda licet hujus avis editio, centum eſſet verſibus auctior facta. Sed vix illa ante quadriennium publici juris fuerat, ſturnos plurimos in hibernis latebris domui urbanæ meæ appoſitis vidi. Tertiam ſturni editionem non ſecuturam fore veritus, Merulæ meæ, cujus reviſio in manibus erat, & quæ avis ſturno ſatis cognata ducitur, attexui, quod de ſturno videram. Cumque Merulam meam ſecunda vice editurus eſſem, a typographo Roterodamenſi ad colligendas aves a me deſcriptas invitor. Sturnum quidem propterea in manus reſumpſi, auxique verſibus plus quinquagenis, ſed qui ad alteram avis notitiam exinde partam faciunt, ſturnumque docent maxime ob frigus pati, & maxime paſſum fuiſſe a frigore anni octuageſimi quarti. Dubia priora de hibernis latebris in opuſculo reliqui, ex quibus liquebit me pedetentim avem noſſe cœpiſſe, neque ad aves carmine deſcribendas veniſſe, ut novis & paradoxis opinionibus miracula facerem, aut ut ullam mihi in carmine licentiam contra hiſtoricam fidem arrogarem. Addidi tamen de hibernis avis latebris paucos verſus minus dubios, ſed qui ſimul alios mores notiores faciunt, & qui pertinere poſſunt videri ad ſturnos ſub ſeptentrione certe latentes. Dubitantibus propterea de avis latebris tam diverſis, reſpiciendum eſt ad auſtralis cœli ſturnum non minus per hiemem varium. Ex Græciæ & Italiæ montibus ſecedens in apricam viciniam, perennat in Gallia, nulloque patriam ſeceſſu fugit. Sed licet id per omnem Galliam de ſturno verum eſſe Guenaldus affirmet, an in Arvernia avem & Cevennæ montibus per hiemem inveniat, valde dubito.

(2) *Ver-*

Digitized by Google

(2) *Verſu* 10. Julius Cæſar Scaliger adverſus Cardanum ſcribens dixerat argutas & Italas aures vexari ſturni vernantis carmine. Idque homo ad Benacum in agro Veronenſi natus in Gallia ſcripſit, ubi eo, ſicut noſtro tempore ſturnus plus quam alia avis ob cantum in caveis habebatur. Moroſitatem igitur ſuperbam, vulgoque ſemper contraria dicentem, quam homo alias doctiſſimus per judicia ſua nimis ſæpe oſtendit, & hujus judicii cauſam fuiſſe exiſtimo. Sed ſi optimis auribus ſuæ auris judicium de ſturni cantu approbarit, certe iis non probet, carmina a ſe ipſo data, numeroſa eſſe. Eaque tam immenſa ſcripſit multitudine, ut vernam ſturni garrulitatem per ea longe ſuperaverit.

(3) *Verſu* 13. Ollas, quæ Sturnorum nidos invitant, Itali non modo altiſſimis ædium muris, uti noſtrates, ſed & arborum ramis altioribus appendent. Quod, licet Aldrovandi tempore novum & inſolitum, apud Batavos tantum fieri ab ipſo ſcriptum ſit, viginti circiter annos poſt ejus obitum Romæ ſolenne fuiſſe oſtendit Olina, ſturno ſuo appingens ollam, iis ollis, quæ apud nos in uſu ſunt meliorem. Additæ enim a figulo anſulæ pertuſæ, quibus virga immittatur, parentibus ad nidum accedentibus inſidenda. Dicit tamen Olina vaſcula a Batavis inventa fuiſſe.

(3) *Verſu* 30. Gallis Sturnus, *chanſonnet* ſive cantator, dicitur. Eſtque ita domeſticus Gallorum cantator, ut Pariſiis vix ſine Sturno ædiculam videas. Caveæ ſunt magnitudine & per omnia ſimiles iis, quæ apud nos captivis alaudis inſerviunt. Credo Sturnos operoſius quam alaudas ali. Olina Sturnis conſciſſa corda, omnemque Luſcinia-

rum cibum, præſcribit. Avisque vermivora oſtendit hæc ſibi neceſſaria eſſe. Quanti vero pretii apud Gallos, & jam ducentis ab annis cantator Sturnus ſit, videtur apud Belonium, qui in neſcio qua Galliæ curia nobilem litem fuiſſe ſcribit, intentatam ab homine, qui Sturnum educatori pullum dederat, merulamque receperat. Merulam ſe accepiſſe, & docuiſſe, contendebat educator, merulasque diſcipulas Sturnorum pullis colore ſimillimas eſſe. Et vero ſimile eſt, educatorem cauſa non cecidiſſe.

(5) *Verſu* 43. Partum tertium Sturnis Aldrovandus dant & Olina; noſterque Nozemannus eos bis ad minimum ſcribit parere. Differt ab Aldrovando Nozemannus in numero ovorum. Septem ille & octo, hic quatuor tantum & quinque Sturnis tribuit. Sicuti vero aves juvencas ab adultioribus numero ovorum differre ſuperius docui, uterque poteſt credi verum ſcripſiſſe. Joſephus Zinannus, qui de nidis & ovis avium peculiariter ſcripſit, Aldrovandi ſententiam tuetur. Sturnis & ille tertium dedit partum. Eorum experientiam non meam in verſibus ſecutus ſum, & veracem exiſtimo. Aves ſunt partu admodum præcoci, quibus tamen nidificandi tempus extremis Junii aut primis Julii diebus præteriit, ut qui eo ſemper tempore congregatæ videntur.

(6) *Verſu* 60. Dixi me in Batavis Sturnorum gregem exeunte menſe Decembri vidiſſe. Idque licet interdum in Bataviæ parte maxime auſtrali eveniat, intelligo tamen ſolennius, & ad Moſam, Sturnos latere, ſemperque latere per eam Bataviæ partem quæ borealis vocatur. Hotunus ibi in ſtramineis ſcribit ruſticarum ædium tegminibus ſopitos

quot,

quotannis inveniri. Tam exigua igitur locorum intercapedo tantam inter avium naturas differentiam facit! Borealis enim Bataviæ principia a Moſæ ripis vix decem diſtant leucis.

(7) *Verſu* 74. Sturnos Saxonicos in anguſtis montium ſpecubus, inque cavis nonnunquam arboribus per hiemem latere & ſopitos inveniri, ſcripſit Georgius Agricola, idque ineunte ſcripſit ſæculo decimo ſexto. Tanti viri authoritatem neque a Geſnero neque ſatis ab Aldrovando conſideratam fuiſſe, nulla alia poteſt cauſa excogitari, quam quod in ſuis regionibus id Sturnos facere non viderent. Ejusque quantivis pretii opus *de animantibus ſubterraneis*, ab illis, qui de avibus recentius ſcripſere, nequidem inſpectum fuiſſe apparet.

(8) *Verſu* 94. Olaus Borrichius, quem in verſibus (ab Olao Magno eum diſtincturus) Cimbrum Olaum voco, Olao Magno cognitionibus undecunque partis inſtructior, inter eruditos Danos unus ex paucis eminentioribus, de *animalibus hieme ſopitis* commentarium dedit, quem anno ſæculi prioris octuageſimo prælegit Hafniæ non modo academiæ, ſed & aulæ proceribus, & qui commentarius Hafniæ cum aliis docti viri opuſculis argumenti ſingularioris anno ſæculi hujus decimo quarto editus eſt. Sed opus editum, multaque de avibus cognitu digniſſima continens, ita ſcriptoribus avium recentioribus non agnitum eſt, ut primus in avibus meis Olai hujus Secundi teſtimoniis uſus videar. De Sturnis, ut rem in Dania percognitam & quotannis viſam, oſtendit, eorum inter ſe connexorum manipulos ſtagnis lacubus & paludibus extrahi, quoties fere piſcatores anguillarum fuſcina glaciem per-

 tun-

tunderent, eosque manipulos foco admotos ex hiberno ſuo ſomno ut alias complurimas aves expergiſci, pari modo aquis extrahi ſolitas. Poſſetne homini docto apud gentem & aulam ſuam æſtimatiſſimo in mentem veniſſe, ita ſcribere, ita coram auditoribus patriæ ſuæ nobiliſſimis loqui, ſi ſe falſa loqui aut crediderat aut dubitaverat?

(9) *Verſu* 100. Quod ſi Sturnus Gallicus per omnem annum in cœlo ſuo perennet, vivat & vigilet, noſterque menſem ultra quartum cœlo abſit & ſopiatur, non eſt mirum per tempus admodum breve in cœlo Suecico Sturnos videri. Alias aves ſemeſtri, alias trimeſtri tempore latere Ariſtoteles dicunt & Plinius: id quidem illi de varii generis avibus, prout nempe una ſpecies altera alacrior, alteraque eſſet vegetior. Sed & ea differentia in ejusdem generis avibus obtineat, neceſſe eſt, ob maximam patriæ indeque & earum differentiam. Non enim ſola corporum inertia, ſed & frigus & cœlum ſuum aves ad latendum invitat. Homines hyperborei longiore ſomno indigent, & graviore premuntur, quam quibus ſub auſtrali cœlo experrectior eſt animus, & alacrior omnis natura. Non moror Franciscum Cineſium, qui ſub extrema Arcto homines ſopit ſomno quinque menſium continuo. Quadrupedia certè ſub eo cœlo ſopiuntur longiùs, quam quibus ſub Jove minus duro per hiemem ſomnus eſt neceſſarius. Ecquod igitur argumentum, aves non ſopiri, quod de ſomni mora differant teſtes?

(10) *Verſu* 112. Galenus Sturnos inter attenuantes optimique alimenti cibos laudat, cibumque alio loco calculoſis utilem dicit. Cum vero Sturni, ut omnes edules aves, pro locis bonitate ſaporis differant,

ſcien-

Digitized by Google

ſciendum eſt, Galenum Pergamo natum, in patria plurimam vitæ partem tranſegiſſe, indeque videri Aſiaticos eum Sturnos laudaſſe. Quod ſi diſcretum eſſet a medicis, de judicio Galeni apud Aldrovandum litigantibus, minor inter eos lis fuiſſet, litemque Aldrovandus melius dijudicaſſet. Avis eſt vermivora & baccivora: ſed quibus baccis, uvis, olivis, utrum ſorbis per multum tempus utatur; varium inde ſaporem variamque inde ſaporis bonitatem ſequi neceſſe eſt. Differre judicia credit Aldrovandus, quod alii de junioribus, alii ſententiam de vetulis tulerint. Tantum juniores Sturnos ab aliis, & ab aliis tantum vetulos guſtatos fuiſſe cum credat, omnes judicii præcipitis fuiſſe, exinde ſequeretur. Neque ſanius examinat, utrum montani campeſtribus Sturnis præferendi ſint? ignoravit tantus Ornithologus avem minime montanam eſſe. Montanis, quæ nusquam ſunt, campeſtres dicit præferri, tantaque eos ſuavitate haberi, ut vix a turdis diſcernantur. Quod ſi ita eſſet, noſtrates Sturnos quantivis pretii judicaſſet, eosque ut cibum Batavis abominabilem viſum exponit, quod furcis & crucibus inſiſterent, ſæpeque reorum cadaveribus veſcerentur. Potuit ipſi relatum fuiſſe, Batavos ſui temporis a Sturnis abſtinuiſſe, aliquos etiam abhorruiſſe: ſed propterea quod furcis inſiſterent, incredibile videri debuiſſet Ornithologo, qui ut aves cognoſceret, ſe multum diuque peregrinatum fuiſſe ſcribit, Sturnosque nusquam viderit furcarum cadaveribus paſci. Hodie certe Sturni apud Batavos abominabili illo cibo non utuntur, hodieque eos Batavis in menſam venire ſcribit Nozemannus: capi innumero numero per retia in arundenitis poſita, cibumque autumni tempore in deliciis apud Batavos Boreales eſſe. Credo tamen boreales iſtos Nozemanni Batavos populum minoris ordinis dici debere. Ego ſaltem apud auſtrales Batavos nunquam avem in menſis vidi, quarum tamen lautiſſimas ſatis, & per omnem vitam acceſſi. Neque, ab amicis, qui ruſticantur, Sturnos capi audivi. Saltem in nullis lacuum arundinetis apud noſtrates Groninganos capiuntur, niſi qui rari turdorum laqueis il-

Digitized by Google

illabuntur, aut ex Ceraſis hortenſibus Julio menſe interficiuntur. Ii ab aliquibus in experimentum guſtus comeſti, præbuerunt judicium, quod in verſibus dedi, de ſapore eorum. Autumnalibus, audio, non abeſſe extraneum illum ſaporem, quem Julius Alexandrinus Cæſareus medicus ſæculo decimo ſexto Sturnis comeſtis dedit, in libris, quos Salubrium inſcripſit.

(11) *Verſu* 130. Aves pleraſque per viginti dies incubare ſcripſit author maximi nominis: credo id illum in Vanello dixiſſe. Sed ſive hanc ſententiam ad ejus magnitudinis aves reſtringit, ſive ad minores aut majores extendit, veritati id minime conſentaneum eſt. Sturnos per ſexdecim dies incubare intelligo ab iis, qui columbaria habent: & aves pleraſque Sturno minores quindecimo die ova excludere dicunt aucupes; idque de compluribus veritati conſentaneum eſſe ipſe vidi.

(12) *Verſu* 146. Sturnos Amſtelodami ad viginti & ſex annos in caveis vixiſſe ſcripſit Hotunus in commentario ſuo Belgico ad aves Linnæi. Aveſque vigeſimum annum in caveis expleſſe teſtatur Bommarius: quem Pariſiis credo etiamnum vivere, itaque, ut in verſibus dixi, inter mille datos caveis Sturnos. Vanum igitur aut nullum Olinæ teſtimonium eſt, vitam Sturni captivi ſextum intra annum terminantis. Atque iſtum in vita avium deſignanda ſæpe vanum authorem in verſibus queror exſcriptum eſſe ab Ornithologis ipſum ſecutis.

(13) *Ver-*

Digitized by Google

(13) *Verſu* 170. Sturnos ſæpe aſperarum hiemum frigore per plagas cœlò noſtris ſimiles perire oſtendi in verſibus. Et ſi aſperior hiems ſe ad tepidiores extendit plagas, in quibus cœlum tenent, quin pari & majore forſitan clade pereant, nullus dubito. Quod ſi enim cornices bicolores & nigræ, quæ in his terris per hiemes maximo numero videntur, aveſque duriores quam Sturni ſunt, frigore anni octuageſimi quarti ante oculos complurium maximo numero periere, Sturnos credam haud ſecus periiſſe in Gallia, ubi cœlum tenent, & ubi frigus idem æquo propemodum ſæviit rigore. Eſſe poteſt, quod picarum noſtratium inſtar per ſæviſſimum tempus ſe & in eo cœlo condant: ſed licet magno numero congregati ſe conderent, & latentes acre frigus adureret. Sturni igitur, aveſque Sturnis congeneres, aut natura perſimiles, tutiſſimæ videantur in illis regionibus, in quibus hiems aut ſemper mitis, aut ita quotannis dura eſt, ut natura jubeat eas ſub aquis ſibi conſulere. Et ſi animalium conſervationi, uti mihi perſuaſiſſimum, ita à natura proſpectum eſt, ex utroque tepido & gelido climate reparentur clades, quæ per durius frigus intermediis plagis eveniant. Sicuti hiems ultra modum ſæva adjunctis plerumque nivibus ſævit, animalia, quæ cœlum tenent, & a frigore & a nivibus quantum patiantur, colligis, maximè certe a nivibus, quæ cibum imminuendo calorem naturalem imminuunt, quo imminuto faciliùs nervos & fibras ſæviſſimum frigus adurit. Cornices è cœlo labi & aliquas vidimus in nivibus immobiles ſtare, vivas utraſque, domumque & in hypocauſta deductas, cum calorem poſſent recepiſſe videri, cibos circumjectos non appetere. Roſtroque granulum aut carnis fruſtulum ſumentes ſumere id viſæ ſunt, ut ægri propinqua morte in agonis levamen vini guttulam. Pleræque haud ſecius, tantum non omnes, moriebantur: quæque ex plurimis paucæ ſervatæ ſunt, alis in multum tempus mancæ videbantur. Cogitandum itaque, paulo poſt morientibus nervos aut fibras vitæ neceſſarias frigore prius enectas fuiſſe. Indeque mors avibus frigóre morien-

rientibus veniens, indicat, ex latebris ligneis aut ſtramineis non ſemper ſopitas reſurgere. In concavis tabulatis, quæ adverſus pluvias caminorum ſpiracula coronant, latentes vidi, uti in merula mea exponam. Inque ſtramineis ruſticarum domuum tegminibus latitantes per Borealem Hollandiam vidit Hotunus. Quomodo in iis latebris ab acutiſſimo frigore non ad intima usque viſcera perſtrictæ credantur?

(14) *Verſu* 200. Busbequius, ſcriptor magni judicii, Scythas non modo trans Iſtrum & Borysthenem, ſed & trans Tanaim colentes, Germanicæ originis oſtendit ex lingua Germanica etiamnum apud eos ſuperſtite, ipſosque Perſas oſtendit Germanicis uti vocabulis. Eaque & in ſuam linguam Græcos accepiſſe exponit Reitſii noſtri Belga Græcisſans. Certe avium, quæ trans Iſtrum & Boryſthenem frequentiores, quam in Græcia ſunt, complurima vocabula in lingua Græcorum antiquiſſima invenio, quæ Germanicam ſonant originem. Exempli Gratia Tetrao, qui noſtratibus *Oerhaan*, Germanis *Urhahne* dicitur, Atticis Urage aut Urago dicebatur. Quod ſi quis non ignorat, Germanos Orientales, verſusque Pannoniam poſitos linguam aſpirationibus addictiſſimam habere, non dubitat, *Urhahne* pene ut Uragen prónunciari potuiſſe. Adde, quod avem in Moeſia frequentem eſſe ſcripſerit Athenæus, Græcis vero ita raro obviam, ut eam inde crediderit Ariſtoteli ignotam fuiſſe. Vide librum Athenæi nonum.

(15) *Verſu* 219. Homerum Aſiaticum fuiſſe arguebat Aſiæ ora ditior, ideoque cultior ante Europæam Græciam: arguit & validè comparatio ex Sturnorum volatu ſumta. Nam ſi ætatem in Europæa Græcis

cia exegiſſet, ſicuti volatum Sturnorum autumnalem vix aut ne vix quidem noviſſet, eum lectoribus Sturnos vix videntibus non expoſuiſſet. Non videntibus, dico: quia in ſaltuoſis & montanis locis, qualis omnis prope Europæa Græcia, perrari ſunt Sturni. Et Græcorum Aſiatici poëtæ, Homerum ſecuti, Sturnos ſæpe militibus impetum facientibus compararunt, uti apud Quintum Smyrnæum ſæpe, & apud Europææ Græciæ poëtas nequidem ſemel videas. Majus tamen argumentum Aſia prius culta, & commerciis gentium & ſcientiis dedita, & poëtarum Aſianorum antiquiſſimus numerus, Mimnermusque Croeſi tempore vivens, tamque cultis elegis, quam Homerus Epico carmine nobilis.

(16) *Verſu 226.* Dixi in verſibus Sturnos æſtate anni octuageſimi quarti vix viſos fuiſſe: avesque complures muſcivoras, frigore forte pariter extinctas vix viſas fuiſſe, adjungendum eſt. Quod muſcarum culicum & inſectorum reptilium ovis eum numerum fecerit, ut hoc anno vix folium in arboribus niſi æſtate jam adulta viderimus. Volvoces, qui erucæ ſunt circum ramuſculos ſeſe volventes, non modo pomaria, ſed & ſilvas & ipſa querceta ea poſſidebant multitudine, ut ſuo ſeſe numero ex ramuſculis extrudentes ambulantem in ſilvula ſua cooperirent. Aves muſcivoræ, Sturnique ante omnes perrari, ab ipſa incurioſa alias plebecula deſiderabantur: magno ſane argumento, avium numerum hominibus perutilem eſſe. Suntque utiliſſimæ propterea, quod præter oculis noſtris viſa, animantia etiam inviſibilia, & ſaluti hominum nocentiſſima, deſtruant.

(17) *Ver-*

Digitized by Google

(17) *Verſu* 234. Paullo poſt annum ſæculi hujus trigeſimum, extremum a magiſtratu hujus provinciæ contra Sturnos, ut damnoſas aves, decretum evulgatum eſt. Illudque cum a præcone neſcio cujus vici populo pronunciaretur, fama eſt, vulgi vocibus identidem repetita, Sturnum ſupervolitaſſe præconem, chartamque generi ſuo fatidicam merdis inquinaſſe, dum prælegebatur: famamque feciſſe, ſunt qui credunt, extremam illam Sturnorum proſcriptionem fuiſſe. Ego vero perſuadeor, cognitam avis utilitatem abrogatæ proſcriptionis cauſam videri debere. Avesque, quibus ſacræ literæ paſtum & incolumitatem videntur indulgere, forte etiam viſæ ſunt, legibus urgendæ & deſtruendæ non eſſe. Urgebatque lex non modo avem, ſolis ceraſis nocentem, ſed & ruſticanam plebem ceraſos non ferentem.

TUR.

Digitized by Google

T U R D U S.

Turde, per autumnum mihi jucundiſſimus ales,
Litore ab externo nunc celebrandus ades!
Quanta per aërios ſe pandunt agmina tractus!
Hinc turba ante oculos, major & inde venit.
Una avis, & ſummo volitans auditur ab axe: (1)
Vox eadem dumis arboribusque redit.
Ad quartam de luce nova fit in æthere curſus:
Altior hora vagum non videt ire gregem.
Omnis enim ad paſtum tum ſe diſpergit in agros,
Turbaque per ſtipulas & nova culta ſalit.
Quæque ſub auroram, vel & ipſa nocte profecta eſt,
Luce nova ſilvas feſſa ſubire ſolet.
Illa tamen ſilvas, mox excita ſole, recultis
Mutat agris, pinguem queis pede verſat humum.(2)
Sol vergens properare vagas, pluviamque timentes
Ingenti ſilvis agmine reddit aves.
Sed quibus is numerus, mora noſtro talis in orbe,
Omnis an is generis mos numerusque? rogas.

Digitized by Google

Tres varii generis turdi numerantur: in illis (3)
Ut geminus minor eſt, corpore major adeſt.
Tanto ad nos numero ſoli venere minores:
More alio & numero magne minore venis.
De minimis uni flaveſcit penna ſub alis;
Penna eadem alterius ſanguinolenta rubet.
Tertius aſſimilis picæ, ſi pondera ſpectas, (4)
Quo vincit minimos, nil niſi pondus habet.
Impoſitus menſis, minor eſt bonitate ſaporis;
Et poſt congeneres advena tardus adeſt.
Primus conſpicitur, cui flavet penna ſub alis;
Pluribus hunc menſis lux Michaëlis habet.
Ocior ad ſilvas, quas Viſtula ſpectat Herulus, (5)
Adque Oderæ fauces ocior ille venit.
Alter, & hic minimus, penna rubriore ſub alis,
Poſt primum decimo gaudet adeſſe die.
Tertius, in patria feram qui invenerat eſcam,
Vix rigidi nimbos ante Novembris adeſt.
Nec ſpectatus adeſt: nec turbam turba fugacem
Sæpe premit, laqueos bisque ſemelque ſubit.

Fri-

Frigoribus mediis ſed grex aliquando videtur,
Cum procul a noſtris jam minor omnis agris.
Perque hiemem viſus ſolito numeroſior eſt grex,
De quibus augurium ruſtica turba capit.
Cum ſedet, & ſumma grex clangit in arbore, longum
Frigus, & æſtatis tempora ſerus habes.
Sin mediæ ramos tenet arboris, inque propinquam
Spectat humum, vernos ſignat adeſſe dies.
Prima ſedens ſic forte ſoli ſpiramina captat,
Deque recludenda pabula ſperat humo. (6)
Sed capitur laqueis ſorbi deceptus ab uvis,
Paſcitur & baccis oxyacantha tuis.
Viſcum amat inprimis, viſco lætatur: & inde
Viſcivorum veteres, noſtraque ſæcla vocant.
Cætera Pilares gens Iliacique vocati,
Omne genus baccas, vermiculosque petunt.
Vermiculos per agrum per ſilvam Octobribus horis,
Turbaque vermiculos vere reverſa legit. (7)
Quod placet autumno ſilveſtris aranea, vidi;
Textaque & artificem prima laceſſit avis.

N 2 Quod-

Digitized by Google

Quodque placent tineæ ſcutato tergore, ſcutis (8)
 Indicat & ſtomachus, quæque referta gula eſt.
Sed quod utramque poteſt minimam duxiſſe videri,
 Dives & his terris plurima ſorbus habet.
Illa greges uvis quos detinet, implet amaris,
 Deterior captis nec venit inde ſapor. (9)
In melius ſaltem diſcrimina rara notavi
 Inter aves, peregrè quas mihi menſa dedit.
Forte, quod hic liquido butyro aſpergimus aſſas,
 Det notum a teneris præplacuiſſe cibum.
Diſtet enim guſtus varias paſcentibus uvas,
 Nec pretium turdis conſtat & inde ſuum.
Viſcivorum reliquis præponit idoneus auctor,
 Gallus homo, & variæ qui regionis erat. (10)
Germanis noſtrisque locis præponitur ales,
 Qui minor: huic melior quod fuit ante cibus.
Viſcivoros, credo, minus uti vermibus. Altis (11)
 Arboribus feſſi, bacciferisque ſedent.
Et prenſi laqueis alta ſuper arbore pendent,
 Ramo oblata humili pabula rarus adit.

Nec,

Nec, quantum memini, per humum ſe paſcere viſus:
  Unde minor cupido gens legit ore cibum.
Deque aliis turdis quod victu differat, ejus
  Serus ut adventus, manſio ſera docet.
Terra ſubeſt nivibus, glacieque obſtricta rigeſcit,
  Et circum ſilvas grex per inane volat.
De quibus occiſum menſis ubi Februus offert,
  Fert ſtomacho baccas oxyacantha tuas.
Nullaque noſtratum lecturus in arbore viſca, (12)
  Haud alias, video, quod ſibi ſperet opes.
Forte tamen ſupereſt piceis & in abjete victus,
  Paſcit & hunc nucleis fagus hiulca ſuis.
Faginea, vidi, caveis quod veſcitur eſca.
  Et plus, quam caveis cætera vivit avis.
Per quemcunque cibum notum ſe cætera paſcat,
  Ter quinum caveis deperit ante diem. (13)
Illa recluſa hiemis tempus prope ſuſtinet omne,
  Et minus aſpectu territa viſa meo.
Altera turba ferox caput & ſua pectora frangit,
  Pluſque minor cunctis ſe feritate necat.

Unde ad nos veniat gens hæc & cætera, quæris?
Conſule, queis ventis advena fertur avis.
Pilaris borea, pilaris ducitur euro,
Sed minimum boreas, eurus, & auſter agit.
Turdus is Iliacus, penna rubriore ſub alis,
Quique tenet fontes plurimus Albi tuos.
Pannoniamque colit, Geſneri teſtibus utor,
Carpatem nidis implet & ille ſuis.
Et nidis ſaltus Leucorum plurimus implet: (14)
Proximior noſtris non ſit, opinor, agris.
Quod ſi pars igitur ſub frigora montibus exit,
(Frigus, & haud paucos cogit abire fames)
Quod ſi iter inſtituunt vento indice, ventus euntes,
Tunc ſæpe Arctous, quo ferat, ipſe vides.
Forſitan in curſu divergia grata placebunt,
Utque Moſella, greges ducere Rhenus amet.
Vitis uterque ferax, profugi bonus agminis hoſpes,
Non niſi nudato palmite mittat avem.
Et quæ trans Gothicum mare nidificare videtur,
(Nidificat ſilvis, Suecia, nempe tuis)

Hæc

Hæc ſi avis ad noſtras, tam diſſita, provolat oras,
Mille via cauſas, unde moretur, habet.
Utque ambage brevi, Mœnum, Baccheïa Rheni
Litoraque & Nicri vitis amore petat.
Non, tantum iliacis, doceo, placuiſſe viarum;
Nec quibus ex terris advena noſter eat.
Sed certè ſerus venit, & vinacea ſecto
Quæ reperis ſtomacho, grana frequenter habet.
Omne genus ſecui: nunquam Pilaribus uva,
Et nunquam ſtomacho grandibus uva ſedet.
Cumque adſunt grandes, vix grandibus uva ſuperſit,
Quarum alias ſtomacho ſæpius uva foret.
Auſtrales adventus aves ſuus eſſe fatetur,
Pilares gelidis ut docet ire locis.
Pilares, credo, gelido ſibi in orbe placere, (15)
Nec nimium tepidi climatis eſſe genus.
Saltem ad nos profugi gelido magis orbe fugantur,
Pilares boreas ſemper & eurus agit.
Primus adeſt, quia pulſus abit regionibus ales,
Vermibus & baccis quos prius orbat hiems.

Digitized by Google

Et quoque primus adeſt fortaſſe, quod altera & ingens
Turba boræa ſua ſede fugarit avem. (16)
Eſt ſuper immenſos, quos Viſtula permeat, agros
Horrida ſilvoſis Livonis ora jugis.
Plurimus his turdus, turdusque innaſcitur ille;
Omnibus & Gothicis plurimus ille plagis.
Si profugas ad nos tam diſſita terra propellit,
Quot dives profugas Viſtula debet aves?
Et quot proximior noſtratibus Odera debes?
Nidificat ſilvis plurima turba tuis.
Herciniumque jugum, Melibocus, fervere nidis
Dicitur: unde greges per breve tempus habes.
Sed quia frigus aves fugat acrius: arctica plures
Terra det, ut nullas cui ſua ſervet hiems.
Quid? cum altis, ut fama refert, ibi condat in undis,
Tam procul autumnus quas male mittat aves?
Quid? cum Saxonicis poſitas bonus auctor in antris
Vidit, Hyperboreo poſcis ab orbe greges?
Perſimilis ſturnus, victuque, & corpore, & ipſis
Moribus, & latebris hunc mea terra videt.

Vis

Vis minor eſt turdo, ſaltumque imitante volatu
Non æquat volucrem, quæ velut haſta, fugit.
Cur iter immenſum faciat, ſturnusque lateſcat,
Qui non a tardo nomen, ut alter, habet? (17)
Tarda citam, pinguisque macram, fragiliſſima fortem
Vincat avis; vincat, cui minor ala data eſt?
Ille ego, qui pennas numero, neque metior ullas,
Pene pares, ſturni vincere teſtor opes.
Haud igitur teſtor, Gothicos ad noſtra venire
Litora turdorum Sarmaticosque greges.
Indeque ſi fugerent, quis credat velle reverti,
Gaviſos zephyris & meliore cibo?
Palladis & Bacchi depaſtos munere, credam
Ad Gothiæ vermes & remeare famem?
Anſer Hiperboreas repetant anatesque lacunas,
Queis ſatis eſt vili piſcis & alga gulæ.
Et bicolor cornix reditum meditetur ad Arctum,
Vermibus auſtrali corpus adeſa ſolo. (18)
Perbene ſe turdus ſuſtentat in aëre quovis,
Quàque libet, teneras perbene nutrit aves.

Utque cibi cupidus varia recreatur ab eſca,
Et varium nidis gaudet habere nemus.
Cumque canit, melius decantat in æthere puro,
Quam quà per craſſum vibret inane ſonum.
Quàque ſibi placuit, maneat quod transfuga, noſtris
Turba manens terris, quantulacunque docet.
Majales refugi noſtris ſpectantur in oris:
Et pariet Gothico tam pigra turba ſolo?
Si qua tuas videat ſilvas paritura, Viſurgi,
Tranſierit certe non, Meliboce, tuas.
Indeque ſub brumam nec multo longius adſint,
Per noſtros profugi qui referuntur agros.
Illaque longa foret fuga continuata volucri;
Subſtiterit mediis, nec ſemel, ante locis.
Nam cum ad nos borea ſoloque feruntur ab euro,
Spirantis venti pone ſequuntur opem.
Unica nox, longosque notos, auſtrosque ſecuta,
Quæ dederit boream, dat genus illud aves.
Ceſſet & hic ventus, gens advena ceſſat: & ingens
Non niſi perpetuum flante caterva venit.

Ma-

Digitized by Google

Maxima turba tamen veniens, non agmina Kleini,
Non Oderæ numeros æquat, &, Albi, tuos. (19)
Nullaque quod nobis avis his deſcendat ab oris,
Utraque gens veniens & fugitura docet.
Nam ſimul apparet, terriſque moratur utriſque:
Cùmque ſuam Batavus, Sarmata perdit avem.
Conſpiceret primos mea terra Novembribus horis,
Credere Sarmaticos poſſet adeſſe greges.
Terra igitur propior ſua dividat agmina nobis,
Et propior cunctis dat ſua, credo, locis.
Quaque greges feri ſilvis paſcuntur apricis, (20)
Saltubus appoſitis ſerior eſca fuit.
Quosque per omnem hiemem ſilvoſa Britannia ſervat,
Credo, Caledoniis deproperaſſe jugis.
Cur hos, ut perhibent, Gothus & Norvagia mittat?
De ſociæ plena eſt inſula gentis ave.
Fruſtra aliquid ſapiens faceret Natura, gregesque
Objiceret longæ dux male ſuada viæ.
Non gaudere vagis, nec & ætheris invidet uſum,
Qua tepet, & tellus proxima paſcat avem.

Sed

Sed quacunque fuga nivibusque fameque periret,
Trimeſtri vitam funere turdus habet.
Neve fides ea ſenſa recens obſcuraque firmet,
Magnus Ariſtoteles ſic quoque ſervat avem.
Idque ſenem, credo, Scythicæ docuere volucres,
Namque in aprica ſuis præſtat aſyla fugam.
Cognitus hic turdus, præ ſturno frigora perfert, (21)
Nec debet latebris, quos avis illa, dies.
Iliacus noſtrum patitur quandoque Novembrem:
Primaque Pilarem tempora menſis habent.
Viſcivoros hiemem vidi manſiſſe per omnem:
Frigoribusque aptum creditur eſſe genus.
Hibernos igitur ſervat Germania turdos,
Plinius ut verè per ſua ſcripta docet.
Sed luſtrata viro Germania proxima Rheno:
Non hiemes Oderæ vidit &, Albi, tuas.
Nec retulit, quales ſervat Germania turdos,
Nec longas illo duxit in orbe moras.
Mitis hiems ſpectat ſolitos miranda per annos,
Durior ut ſolito frigore, mira videt.

Quo-

Digitized by Google

Quoque loco, interdum grave frigus habente, perennat,
Nulla minus tuta eſt, quam vaga turdus avis.
Nec latebris; ſturnos noſtro claudentibus orbe,
Si qua hiemat pariter, tutior eſſe poteſt.
Quæritur aucupibus, cur ſæpe frequentior ales,
Sæpe per has terras non numeroſus eat.
Cum peteret Romam gens Arctica, gens hominumque,
Cœca per haud unum turba ruebat iter.
Nunc ventus, nunc caſus avem divertit, & ipſa
Cura cibi varias cogit inire vias.
Hiſpidus October, pluviiſque aquilonibus horrens,
Per cœlum volucres lætius ire jubet.
Continuique nocent ſoles, quibus aëre ſummo
Provolat: alternus detinet imber avem.
Adde, quod haud ſemper populus proficiſcitur idem:
Sæpe tenet patriam, qui vagus ante fuit.
Nam niſi vis hiemis, niſi montibus acris egeſtas
Pellat avem, planis haud juga mutat agris.
Terra opulenta ſubeſt licet Alpibus undique, turdos
Vidimus hibernos omnibus eſſe jugis.

Per-

Perque hiemem aſperior ſervat Melibocus & Albis,
  Nec, niſi vis, patria cedere cogit avem.
Juſta per hos annos ſi turba negatur adeſſe,
  Feciſſe id luxum, Ruſſiacumque, putas.
Diſcat avis pretium ſua patria, ſaltubus altis,
  Seque, ſuumque genus, quo tueatur, habet.
Nec nocet, aut cladem faciat doctiſſimus auceps,
  Tempore quo turdum ſpargit, & abdit amor.
Cumque greges coeunt, & perderet agmina Ruſſus,
  Agmina præcipiti, credis, abire fuga.
Non tam igitur Ruſſus luxu creſcente noceret,
  Quam ſibi Ruſſiaco gens fugitura ſolo.
Viſtula tranſitur profugisque Sileſia, credis:
  Quanta per has pridem facta ruina plagas! (22)
Per menſem turdis Odera paſcente colonos,
  Nullus ab his quondam turdus adeſſet agris.
Me puero, his terris plures veniſſe recordor;
  Sed quæ, me puero, ſæviit acris hiems!
Judicio egregio (nam nunc quoque cognitus inde eſt,
  Luſtra bonum quamvis tot rapuere patrem)

Ju-

Digitized by Google

Judicio egregio, quod & ipſe probavit, ut auceps,
Frigora perdiderant has mihi, dixit, aves.
Octodecim autumnos vivens poſt frigora, dixit,
Extinctum video nunc remeare genus.
Tempore poſt certè rediit genus omne ſecuto:
Viderat & ſolitos jam mea ſilva greges.
Sed, quod præterito cœpit grave frigus ab anno,
Perdidit, & turdis perdidit omne genus.
Ver hiemem immanem, nova tanquam bruma, ſecutum,
Vix turdum cœlo, vixque revidit avem.
Quosque daret ſua terra greges Octobribus horis?
Unus per ſilvam turdus & alter erat.
Nec jam me ſilva memorem teſtabor amicis,
Pro turdis lignum det niſi ſilva ſuum.
Silva ſtat incaſſum, rubicunda tot undique ſorbis,
Tamque per autumnos quæ mihi cara fuit.
Sed docuit clades, quod conjectura parentis:
Auctius & melius turdus habebit opus.
Guenaldus vati dabit & Buffonius aurem:
Arctois certè non venit ales agris.

Si-

Kleinius Arctois genus hoc crebreſcere terris,
Vix maris ut numerum vincat arena, docet. (23)
Defecit laqueis genus inſuperabile nullis,
Frigoribusque: eadem turba ibi ſemper adeſt.
Credo equidem, Kleini: Gothicis latet abditus oris;
Sed petat auſtrales turdus ab axe plagas.
Teutoniæ tepidos, & diſpergatur in agros,
Ubere quos gleba Gallia dives habet.
Pars apud Angligenas hibernet, in Arctica regna
Poſt ſævas hiemes ecqua rediret avis?
Et redeat fugiens, maneat pars magna ſub Arcto,
Quod tamen ut faciat non latitura, doce.
Haud mihi comprenſa turdus ratione ſuperſit:
Nullus in hos profugus cur modo venit agros?
Turba petens Gallos, & te duce miſſa per Alpes,
Divideret ſolitos per loca noſtra greges.
Cur genus extinctum, quod venerat, omne, Groningæ
Non modo, ſed tellus proxima quæque videt?
Quosque videt, ſervarit hiems: ſed ut Arctica, nullos:
Servarit, ſturnos ut mea terra tegit.

Ser-

Digitized by Google

Servatos melius ſua patria vere revidit:
Diſperiit latebris pars male tecta ſuis:
Et fuga ſervarit paucos, reducesque revidi,
Sed potui digitis quos numerare meis.
Non igitur ſperes, veteres niſi tempore longo,
Poſtque meos annos, hic revidere greges.
Quid? breve tempus & hoc, terras reparare propinquas
Extinctum, dubitas, tam cito poſſe genus?
Sed quæ terra dedit turdos, vicinior Arcto eſt,
Et terris, melius gens ubi tecta latet. (24)
Ut recipit profugos, ſolet hæc retinere colonos:
Semper aves terra divitiore manent.
Diviteque & vacua tam transfuga gaudeat ales,
Quam vagus ad Batavas qui venit hoſpes opes.
Cum Batavos Indus, ſua terra obnoxia morbis, (25)
Marsque hauſit, terra Marsque ſecutus aqua:
Tanto ad nos numero Germania fertur, & Arctos,
Amſtela vix populum noſcat ut ipſe ſuum.
Quid mirum eſt igitur, vacuis ſi ſaltubus Albis,
Odera, nonnullas jungat & Iſter aves?

Digitized by Google

Iliacus certè turdus deſedit, ubi ante
Non niſi Pilaris viſus habere genus. (26)
Nam qui olim decima eſt Pilares luce ſecutus,
Nunc minus amotam bis comitatur avem.
Utque diu plures Pilares cepimus olim,
Nunc æquat numerum gens laqueata ſuum.
Quàque novum ſe parte genus Pilaribus addit,
Auxerit & proprium gens peregrina genus.
Adde, quod & cupidè genus augeat ipſa: quotannis
Bis parit, & toties ſex habet ova thorus.
Dicitur abbietum per ſumma cacumina poni:
Et numeroſa ſuos nectere turba lares.
Laudat Ariſtoteles, & hirundinis arte lutatum,
Ventos ferre, licet mobile, ſcribit opus.
Sed genus Iliacum ſic nidificare videtur,
Innatum Græcis Pannoniæque jugis.
Viſcivori nidos, Rheni naſcentis in oris
Teſte bono viſos, concava malus habet.
Nec minor huic teſtis per ſumma cacumina fagi,
Perque humiles ramos textile vidit opus. (27)

Ta-

Digitized by Google

Talis, uti merulæ, eſt nidus, ſed mollior intus;
Fulcitur plumis, ovaque quinque fovet.
Perque humiles frutices, majoris & avia ſilvæ,
Pilaris nidum turturis arte ſtruit.
Sed tamen ut muſcum ramis arentibus addat,
Junctius & totum conſtituatur opus.
Sic ſaltem his terris rara mihi ſorte repertus
Nidus erat, volucres ſexque ferebat aves.
Perque Amaſis terram, ſilvas ſpectantis opacas,
Arte pari nidos crebrior ales habet.
Crebrior ad Paderam, ſuperique Viſurgis in oris,
Crebrior Herciniis nidificatque jugis.
Sed loca, quæ nidis magis omnibus una frequentat,
Verſus Hyperboreum diximus eſſe ſolum.
Viſcivori nidos naſcentis ut accola Rheni, (28)
Galliaque & Latium nidificare videt.
Utque avis illa frequens auſtralibus aptaque terris,
Non veterum menſis advena turdus erat.
Advena carus erat: neque quem denarius emit
Tertius, æſtivum per nemus omne fuit.

Cur, quem ſilva daret, Pompeio debuit agro
Luculli caveis, non aliunde peti? (29)
Pilares Italos adeunt, &, ut Olina ſcribit,
Montibus Hetruſcis nidificare ſolent.
Sed cur Pilaris nidum Zinannus habere,
Nec potuit ſcriptor Felſina docta tuus? (30)
Eſtque ibi ſub brumam non creber, ut ipſe notavi.
Iliadum plures Tuſca macella dabant. (31)
Utque cibum, cunctis Pilares Olina præfert,
Prætulit & Geſner, qui Tigurinus erat.
Non tamen Iliacus mihi vilior eſca videtur,
Romulidum menſis aut placuiſſe minus.
Paſtus erat certè, quam qui optimè, & unde per omnes
Laudatum menſas nunc quoque nomen habet.
Illyricis genus hoc, Græcisque ut abundat in oris,
Sæpe per Æmilios inde volarit agros. (32)
Pinifer & ramis habet Appenninus in altis,
Unde ſatis Latium Romaque vidit avem.
Utraque avis veterum fuerit cariſſima menſis,
Iliadem caveas ſed male ferre reor. (33)

Tur-

Turdus & ob pretium quibus aſſervatus in uſus
Æſtivos caveis, forte docendus eras.
Sed poſt Varronem quotus hæc ſuper alite ſcribam?
Quale Macer dederit, me breve poſcis opus.
Dicendum tamen, ut volucris capiatur. Ab alnis
Quæritur, in vacuo ſilvula quæ ſit agro.
Saltubus aſſuetas ſolis, hominumque fugaces,
Proximior villis ſilvula terret aves.
Non nocet, iliceis ſi ſit circumdata dumis, (34)
Totaque bacciferis horrida facta rubis.
Sed plures fac ineſſe vias, quarum unica ſaltem
Latior, & nigro ſit perarata ſolo.
Deſpicit ex alto volucris. Genus omne ciborum
Silvula promittit, quæque nigreſcit humus.
Et juvat, ut vivens, laqueis data victima primis
Per ſilvam in cavea conſtituatur avis.
Illa greges cœlo ſimul exaudivit euntes,
Subvolat, & miſera voce reclamat opem.
Mane per æthereas quæ maxima ducitur auras,
Quæque ſub occiduum turba profecta diem,

Devolat, ac laqueos reperit. Laqueosque, docebo,
Ut facias: virgas cædua ſorbus habet.
Tercentum aut plures exſcinde: & delta Pelasgum
Singula det manibus virga coacta tuis.
Mox ad utrumque latus trigoni ſurgentis, equinis
Ex ſetis laqueos collocet apta manus.
Sorbea ſub trigono fac pendeat uva, caputque
Immittet laqueis, qui dape turdus eget.
Sunt quoque, qui pedicas volucri tollonibns addunt;
Sed miſeram longa tunc nece perdis avem.
Nulla ſit utilitas crudelis! nulla voluptas,
Tanta avis ærumna quæ ſit emenda, placet.
Suſpenſæ ad collum brevis & ſubitanea mors eſt;
Accipitremque vocat, quæ pede pendet, avis.
Tercentum ex trigonis, longè utilioribus ergo,
Tercentum volucres per breve tempus habes.
Non niſi per menſem venatio fervet, iniquum
Quod ſequitur tempus, plurima vitat avis.
Omneſque, ut glacies per aquas oſtenditur, abſunt:
Forte, quod ad latebras tum vaga tendit avis.

Aut

Digitized by Google

Aut latebras vitare fuga ſi transfuga poſſit,
Inde, quod è terra prima ſit eſca, vides.
Scilicet & vernis ſimul illa reſolvitur auſtris,
Per loca noſtra redux hinc quoque gaudet ali.
Sola redit, noſtris capitur quæ plurima ſorbis,
Et vafram Iliaca quam reor eſſe minus. (35)
Multa per autumnos igitur, ſuſpenſa tigillis,
Servata eſt laqueis ſorbea bacca meis.
Sed, ſeu vere novo ſequitur cupidiſſima vermes,
Scitve prius caro tempus abiſſe cibo;
Rara ſubit laqueos: & ſervatiſſima, fruſtra
Expoſita eſt reduci bacca doloſa gregi.
Quæ tum capta tamen de millibus unica, macro
Pectore, nec noto viſa ſapore fuit.
Et pennas mutaſſe, aliasque oſtendere viſa eſt,
Fuſca inſtar gaviæ, ſubviridisque caput.
Et ſic Pilarem, ſed tanto corpore, turdum
Cepimus, ut binas vinceret unus aves. (36)
Viſcivoris & avem Pilaribus addere poſſes:
Cærulus errabat terga per ima color.

Digitized by Google

Sed neque viſcivori pectusve, pedesve videbas,
Cætera Pilaris ſigna volucris erant.
Quale genus turdi quis vidit? tempore Plinï,
Viſus in Auſonia eſt & nova dictus avis.
Tertia gens turdis adſcripta minoribus, & quam
Pilarem, dubites, Iliacamne voces. (38)
Aureolus color eſt illis per pectora ſumma,
Flavet, & interior, dixeris, ala rubet.
Sed rubet, & rubram dicas fore: ſæpeque viſus
Turdus hic, Iliaci pullus habendus erit.
Verus & hic fertur, veteri laudatus ab ævo,
Et quartum turdi præcipuumque genus.
Iliaco differt plumis, differtque ſapore,
Vita quod huic miſero rapta dat ante diem.
Nondum oculos ſtria flava ſuper, quæ naſcitur annis,
Et quæ pro ſexu plus quoque forte nitet.
Alitis hæc oculos ſuper eſt albeſcere viſa:
Diverſumque genus dictus & ille fuit.
Ætatis quæ ſigna tibi certiſſima longæ,
Externi generis ſunt nec habenda novi.

Vi-

Digitized by Google

Vidimus incano ſeniorem vertice ſturnum,
Viſus & Iliacus vertice canus erat. (38)
Nec dubito, quin ſexus avem quoque mutet, ut ille
Poſſet in Iliacis multiplicare genus.
Sexus, & immutat ſpeciem Pilaribus ætas.
Non alias diſpar tam genus eſſet idem.
Pectora nonnulli maculis nigrioribus ornant,
Grande caput, plumis auctaque colla vides.
Eſſe mares credam, numerus niſi rarus eorum:
Signa quod hæc ætas fecerit alta, putes.
Cauda minor pullos genus & tibi denotat anni.
Utile quod dominis & quoque noſſe coquis. (39)
Nam tener in tantum præſtat ſenioribus ales,
Inde ſit ut menſæ, non honor inde tuæ.
Utque fibras mutat ſuccos & in alite, quantum
Poſſit in externo longa colore dies?
Alterat hunc annus, conſpectaque vere volucris,
Autumnis notum denegat eſſe genus.
Forte, quod & magno de millibus unica fato
Tam procul abſit, ut & patria mutet avem.

Non nihil hæc turdum vel non nimis abſita mutat,(40)
Mutat in immenſum diſſitus orbis avem.
Iliades Afras tibi pingere poſſet Apelles,
Non, qui Mæonia præditus arte foret.
Pilares vidi, quorum omni in corpore plumas
Inficeret viridis coccineusque color.
Miſerat hos tellus Columbi inventa carinis,
Illuſtratum avibus quæ dare vellus amat.
Omnibus utque novat tellus nimis altera plumas,
Eſt, ubi vox pulcro rapta colore fuit.
Omnibus Europæ turdis non deficit illa;
Lis gravis eſt cantu de meliore trium.
Et genus omne domi gelidum tepidumque per orbem,
Sed quæ de nido ſumpta, tenetur, avis.
Rarior hoc noſtris pullus negat hactenus oris.
Sed ſatis appoſitis jam canit ille locis.
Vere redux ales Batavis, ut ſturnus, in hortis,
Et melius juncto turba canore canit.
Quodque canunt, Batavas ſolet exhilarare puellas,
Ut ſacra virginibus Catſia muſa docet.

Quam

Quamque inter fagos ſub Hagani collibus agri
Catſius audierit, Martius audit avem. (41)
Dicitur in noſtris per Aprilem pſallere ſilvis,
Non audita mea quæ tamen aure fuit.
Quippe, ſacram cantu, docui, violaret ut auceps,
Nec ſemel eſt laqueis turba perempta meis.
Cæleſtes genii, ſparſæque per æthera mentes,
Parcite, ſi ſancta eſt, quæ modulatur, avis.
Sed brevis eſt ævi, teſtatur ut Olina ſaltem,
Sed ſinitis milvis hanc quoque ſæpe rapi.
Et procul a patria, faceret cum patria tutum,
Turdus inops annis omnibus exul eat.
Quàque venit, profugum ſua vox laudata relinquit,
Vilis & adveniat, quod numeroſus adeſt.
Omnia quæ faciunt, ſit ut excuſabilis auceps:
Sævior aucupibus ſors inimica nocet.
Sors quoties dedit acre gelu profugiſque pigriſque,
Deſtruit immenſos ſors inimica greges.
Et mihi, cui frigus, rerum naturaque parcit,
Cuique favor peregrè partus ubique fuit:

Qui-

Digitized by Google

Quique, velut ſilvis turdus, modo conditus agro,
  Aut patria lateo conditus urbe libris:
Cuique magis raræ, quam turdo, gratia vocis,
  Et procul auditæ gratia vocis adeſt:
Et mihi quot laqueos patria ſtruit invidus urbe!
  Invidus, aut vatum qui timet omne genus!
Nunc Batavos verſus, ſtultum & quodcunque Latinè
  Scribitur, ut noſtræ ventilat artis opus.
Nunc dicor patriæ per amicos poſſe nocere:
  Nulla ſatis Gallis littera tuta datur.
Nunc, quocum vivit vulgo & ſine fine ſuſurrat,
  Legatis notum me nimis eſſe docet.
Sorte alia, & ventis magis aſpirantibus illi,
  Cogerer, ut turdus, vertere ſorte ſolum.
Sed mihi, ſed factis, nec & uni fiſus amico,
  Atque hilari ſtudio corda propinqua gerens,
Vitam actæ ſimilem, ſolitisque laboribus aptam,
  Nullaque fortunæ munera poſco Deos.
Si fortuna tuum tamen augeat ulla favorem,
  Da, quæ fortunæ munera, Lector, amem.

NO.

NOTÆ.

(1) *Verſu* 5. Ornithologis in nulla magis re inter ſe convenit, quam in acuta voce, & ab altiſſimo cœlo audita, turdis pilaribus tribuenda. Neque in cœlo admodum diſpare vocem differre, docent Linnæus, Racinſcius, & Kleinius, Arctoi ſcriptores, Ariſtoteli, Italisque & Gallis ornithologis in hac re convenientiſſimi. Auditur avis a bonis auribus, quæ a bonis oculis, ut altivolans alauda, videri non poteſt. Sunt qui Iliacis turdis per cœlum euntibus vocem pene parem tribuëre, ſed cum volatu non differant, pilares, utrum iliacos audias, difficulter diſcernitur. Iliaci per ſilvam ſalientes & exterriti clangunt, uti Viſcivori: quos lingua propterea noſtratum turdos cachinnantes vocat. Clangor ille a pilaribus nunquam auditur. Unde Iliaci fulvo pectore viſcivoris ſimiliores, iisdem & magis cognati viderentur, ſed convolant Iliaci & Pilares, nunquam cum viſcivoris alterutri. Atqui congregatio magis intimam paritatem indicat, quam color, admodum in merulis & turdis diverſus. Et tamen merulæ & turdi aves inter ſe amicæ apud Plinium dicuntur, quodque revera amicæ ſunt, indicant merulæ torquatæ, quæ aliquibus in terris per ſilvas in cavea conſtituuntur, ut greges turdorum ſuper ſilvam volitantes deſcendant.

(2) *Verſu* 14. Pede terram verſantis aviculæ mos eſt, maxime vermivoram indicans. Id etiam ſturnos facere ab aliis rectè obſervatum. Iliacosque & pilares turdos ſturnis hoc more ſimillimos eſſe, non ſemel vidi. Guenaldus magnam in unguibus vim utrisque tribuit. Eamque vere unguibus tributam eſſe, & utriusque roſtro tribui poſſe, identidem ſenſi. Mordent enim & præſtringunt digitos, qui laqueis vivi eximuntur, ut ſanguinem cuti exprimant.

(3) *Ver-*

Digitized by Google

(3) *Verſu* 19. Tria turdis genera dedit Ariſtoteles; neque plura, credo, dederat Natura. Ornithologi vero recentiores gravi errore genera multiplicarunt, differentiam ſexus & ætatis diverſo tanquam generi tribuentes. Quid ſi vero turdum vidiſſent, Plinio & mihi uni ex recentioribus cognitum? Quintum certè ex iis genus procreaſſent. Turdum illum inferius poema deſcripſit, & differentiam, quæ maximè inter Iliacos eſt juniores & adultos, & quæ genus quartum apud ornithologos conſtituit. Turdum ſingularem, bis captivum videns, dubitaſſe me fateor, an non quartum ex iis genus faciendum eſſet: ſed vix credibile futurum cogitavi, Ariſtoteli inviſum fuiſſe, cui aves ex omnibus terris ſubmitti juſſerat tot terrarum diverſiſſimarum victor Alexander. Et ſi avem ille vidiſſet, neque propter eam turdis genera multiplicaſſet, plus Ariſtotele mihi tribuendo, juſte omnibus arrogantior, & mihi ipſi viderer. Trium generum diverſitates ſatis clare expoſitæ ſunt in poemate. Sed de pilaris & iliaci nominibus nihil dixi, quique eorum nominum cauſas apud alios legent, male me produxiſſe primam ſyllabam in pilari judicabunt. Pilarem turdum Salengrius Gallus dictum putat, quod capitur ſetis equinis, quas ille pilos vocat, & vocare non potuiſſet, ſi rectins latine ſciviſſet. Et ſi pili ſetæ eſſent, quot aviculæ pilares eſſent dicendæ? Alii ſuperna roſtra huic turdo barbata, piliſque aliquatenus obducta viderunt, indeque pilarem dictum fuiſſe exiſtimant. Iſti pili in roſtris ſupernis noſtratium non videntur, abſuntque mento, cui pilos appingi fecit Aldrovandus. Aveſque ille barbatulos turdos vocat, nec credo, male. Aves pro diverſo cœlo differunt. Poſſuntque & ſuperna roſtra in aliis terris pilis aliquatenus obducta videri: ſed non poſſent ab illis pilis turdi, pilares, vocabulo tanquam illis unicè proprio, dicti fuiſſe. Avibus haud paucis, & Picæ Glandariæ in primis, pilaris nomen melius conveniſſet. Sed ut latinè ſcientes vident, a pilis lanuginem ſignificantibus nullæ aves pilares latinè dici poſſunt: Piloſæ enim latinis ſcriptoribus dictæ fuiſſent. Veteres enim adverbium pila-

laris a pila tantum, & a pilo teli genere derivarunt. Etymon vocis viderat Gesnerus, quod primam ſyllabam in pilari turdo productam apud neſcio quem poetam legerat. Indeque non a pila, cujus prima corripitur, ſed avem a pilo dictam fuiſſe intellexit. Intelligere vero non potuit, quomodo a pilo teli genere turdus a veteribus græcis & latinis dictus fuiſſet. Dicitur enim Trichas apud Ariſtotelem, quod & Græcè teli genus ſignificat. Sed pila & ſagittæ (quas Belgæ a Romanorum voce pilo *pilen* dicimus) quotidie a militibus, præcipuè tironibus in ſcopum album vibrari jubebantur uti ex ſcriptorum veterum centum locis conſtat: ſcopumque album, pilis pertuſum, qui indies ante oculos habebant, cum turdi pectus pertuſo ſcopo perſimile viderent, pilarem hunc dixerint, ut ab iliaco turdo congenerem diſcernerent. Iliaci nominis cauſam derivat Guenaldus, quod a vetere Ilio hoc turdi genus in Græciam devolabat, ſed cum turdos & advenas aves omnes ſemper ex ſeptentrione verſus auſtrum profugere teſtetur, non video, quomodo ex Phrygia iliacos in minus auſtralem Græciam accerſat.

(4) *Verſu* 25. Tertius turdus, viſcivorus, a viſco, dilecto ejus cibo, dictus, picæ magnitudine ſimilis ab Ariſtotele dictus fuit: ideoque a recentioribus exploſus fuit, tanquam pica minor eſſet. Eſtque minor: caudata, ſed non quam glandaria quamquam Ariſtotelis & veterum picam fuiſſe, in pica mea oſtendi. Quantumque illa avis viſcivoro turdo magnitudine ſimilis ſit, hoc anno amicis turdos egregiè noſcentibus licuit oſtendere. Picam glandariam turdorum laqueis ceperam, circaque primos dies Octobris, quatuor fere ſeptimanis, antequam primi adveniunt viſcivori. Ex advena igitur tam præpropero ut amicis laqueos meos commendarem, deinde ut iis oſtenderem, quam vere Ariſtoteles viſcivorum picæ a magnitudine comparaſſet, glandariam meam detracto capite tanquam a milvis exempto turdos inter pilares convivis appoſui: cum-

que

que nullus avem viſcivoro majorem vidiſſet, plumas adferri glandariæ meæ juſſi, quibus viſis ſicut advenæ præproperi miraculum deſiit, ſecuta eſt confeſſio omnium, Ariſtotelem utramque avem recte a magnitudine comparaſſe.

(5) *Verſu* 31. Turdi omnis generis teſte Kleinio in agro Gedanenſi circa medios dies Septembris eo numero apparent, ut aucupium ab iis diebus ferveſcat: parique & ſtato tempore primi advenæ capiuntur ad Oderæ oſtia. Sed hæc feſtina majoris numeri apparitio Arctois regionibus peculiaris non eſt. In Lotharingia & Burgundia primi advenæ (ſed non omnis generis turdorum) pari tempore crebreſcunt. Et eodem tempore in noſtris minoribus ſilvis apparent, qui in majoribus noſtris nidificaverant. Differentia igitur non eſt niſi in numero, numerus enim noſtratium perexiguus, ſed crebrior & frequentiſſimus in iis locis, quibus maximæ ſilvæ ſunt in propinquo. Ager Gedanenſis maximis ſilvis ad Viſtulam extenſis adjacet, & ex iis Kleinius primos greges arceſſit. Eosque ſcribit maxima ſua parte propelli verſus Boruſſiam, ſimul ac alteri greges magis ſeptentrionales circa primos dies Octobris adveniunt. Illique ab alteris novis advenis propelluntur, teſte eodem Kleinio, ad idus usque Octobris; quo ſtato ſemper tempore ceſſat Gedanenſibus aucupium. Et pilarium aucupium eodem tempore noſtratibus ceſſat. Iliacorum ad ultimos menſis dies, & viſcivororum ad idus Novembris prorogatur. Fervere tamen & Iliacorum aucupium deſinit, circa vigeſimum Octobris diem.

(6) *Verſu* 48. De augurio veris proximi aut manſuri frigoris ex turdis viſcivoris capto primus credo mentionem fecit Creſcentius, qui ſæculo XIII vixit Bononiæ. Mentionem illam exſcripſere ornithologi complures, præter Geſnerum, qui augurium iſtud fidele eſſe ab homine ruſtico acceperat. Sunt apud noſtrates, qui viſcivororum hibernos gre-

greges cantillare audiverunt. Ego qui eos greges hiberno tempore ſæpe ſecutus ſum, & ſæpe in ſilvarum extremis arboribus ſedentes ex propinquò conſideravi, cantum ab illis nullum inaudivi, ſed, quod in verſibus meis dixi, greges feræ hiemis numeroſiores vidi, quam qui per Novembrem mihi identidem obvii fuere.

(7) *Verſu* 56. Vermiculos, & nihil præterea in cibum legunt verni reduces, ſed qui reduces turdi tantum pilares ſunt. Videnturque transfugæ lentè procedere, & a primis ſæpe veris diebus ad nonum & decimum menſis Maji diem videntur. Quod ſi vero rigidior frigore eſt Martius, ineunte Aprili, & quandoque etiam ſerius aſpecti, & tum ad idus Maji magno numero in noſtris terris moram trahentes viſi ſunt.

(8) *Verſu* 59. Præter ea, quibus turdos pilares maxime vermivoros oſtendi, oſtendenda eſt Joannis Coleri experientia: qui in agro Brandeburgico ad Spream ineunte ſæculo priore vivens, eos ob cantum in caveis ali, alique ſcribit pane tritici contrito, aut farina Saracenæ ſegetis aquis macerata. Illoque eos a cibo cum langueſcentes vidiſſet, revaleſcere & lætius eos vidit cantare, ſimul ac araneam ipſis obtulerat. Cujus experientiæ & Romanus Olina conſentit, contrita ovium corda pilaribus monens neceſſaria eſſe. Sed in diſſectis pilarium autumnalium ventriculis nunquam vermes aut araneas, & perſæpe in iliacorum reperii. An quod ſtomacho ardentiore ſit pilaris? ingenio & natura ardentior videtur iliacus, qui in laqueis multo magis ſe exagitat & diutius vivit, quam pilaris. Vidi pilarem araneas ſilveſtres laceſſere, & ante oculos meos devorare. Sed tinearum ſcutato tergore, quæ alnorum victitant foliis, ſæpe integra ſcuta in ventriculis iliacorum vidi. Venantur igitur inſecta, & per arborem & per humum ſalientes.

(9) *Verſu* 64. Avis minus baccivora, quam vermivora eſt turdus. Quodque inter menſæ delitias habetur, minus, credo, a baccis, quam a vermibus habet. Indeque minus fortaſſe intereſt, utrum baccis ſorbeis an uvis veſcatur. Juniperi in agris noſtris non ſilveſcunt, ſed in proxima noſtratibus Veſtphalia crebreſcunt, ut thymus in Hybla. Poſſunt igitur noſtrates advenæ ſaturi & junipero videri, tamquam alii cujusvis terræ turdi. Memini me turdos Romæ comediſſe, minusque mihi quam noſtrates placuiſſe. Sed dabantur menſe Februario, quo tempore omnes aviculæ minus, quam per autumnum, pingues & vermibus ſaturæ ſunt. Pariſiis, perque Germaniam, & Sabaudiam turdos ſæpiſſime. & per autumnum comedi, ſed quod noſtratibus præferendi eſſent, non ſenſi, niſi forte in Sabaudia. Sed utrum judicium veræ eorum bonitati, utrum fami meæ a frigore Alpium accenſæ tribuendum ſit, dubito: & præparatio ciborum Allobrogum magis ad noſtram & Gallicam accedens, turdos Alpinos delicatiores potuit feciſſe, ut multa, quæ diu aliter præparata, & palato magis aliena, guſtaveram.

(10) *Verſu* 72. Sunt ſcriptores, qui pilarem turdum in cibis, ſunt plurimi, qui iliacum prætulere. Belonius inter primores omni titulo, qui de avibus ſcripſerunt, viſcivorum prætulit. Ejusque judicium eò magis advertendum eſt, quoniam ab homine prolatum eſt, qui magnus peregrinator, variis in terris avibus illis in cibum potuit uſus fuiſſe, aliorumque de illis judicia intellexiſſe. Inque Gallia, unde oriundus fuit, & ubi extremum vitæ tempus ob eruditionem inter magnates peregit, quod de turdis commune eſſet judicium, poteſt videri in ſcriptis ſuis reliquiſſe. Nihilo minus plurimi ſcriptorum, & præcipue Galli judicium ipſius carpſere. Sed ipſius judicium hoc noſtro tempore ſecutus eſt ſcriptor Helvetius, Medicus Bernas, Burgæus nomine, qui Bommarii Lexicon Hiſtoriæ Naturalis obſervatis ſuis adauxit. In quibus turdos pedibus nigris (quos viſcivoros puto, non enim alios pedibus nigris vidi) tur-

Digitized by Google

turdos in Gallia contemtos, delicatiſſimum Bernatibus cibum eſſe teſtatur, ſic ut aſſibus duodecim Gallicis ſinguli veneant. Neque id pretium ab raritate poteſt exauctum videri, quod ſub autumnum Bernatibus magno numero ab altiſſimis jugis dilabuntur, magnoque numero capiuntur per retia, ſatis iſtis raris retibus ſimilia, quæ in agro Sabino turdis edacibus tetendit Horatius.

(11) *Verſu* 75. Iis rationibus, quibus innui viſcivorum minus aliis turdis vermivorum eſſe, contradictum eſt, quod ſerius venit, quam cum in humo ſuperna ſunt vermes. Inde eum terram non legere, inde altis arboribus inſidere. Sed ſcolopaces, altisne illæ arboribus ſedent, an humum ſilveſtrem, diuque poſt adventum viſcivori legunt? Et quare ſerius cornices in arvis recens peraratis magno numero videntur? vermibus duci, vermibus eas maxime recreari novimus, licet etiam frugilegæ ſint. Regulus & ſcolopax frugilegi non ſunt, & per hiemem inter folia ſilvarum decidua non modo victum reperiunt, ſed victum, unde ille perpetuo cantat & unde altera ventrem ſæpe præpinguem menſis oſtentat. In nivibus ſunt vermes: perque humum ſilveſtrem inter alta folia non eſſent? adde, quod aves maximè vermivoræ naturæ ductù terram ſemper perquirunt, & terras vermium avaras. Eſt aliquod igitur argumentum, turdos viſcivoros, minus vermivoros eſſe, quod nunquam per humum ſilveſtrem, ſemper in ſummis arboribus per hiemem videntur.

(12) *Verſu* 87. Viſcum, unde à veteribus dictus fuit viſcivorus, arboribus auſtralis terræ, uti noſtris muſcus, innaſcitur. Ejusque plantæ paraſitæ baccas tantopere amant hi turdi, ut arbores viſcum ferentes ab aliis avibus agmine facto defendant: quod in ſilvis ad Ligerim poſitis ſe obſervaſſe ſcribit Salengrius, addens tamen, viſca non admodum in ſuæ Galliæ ſilvis frequentia eſſe, cibique dilecti caritatem fortaſſe viſcivoros ad tam ſingularem earum arborum cuſtodiam invitare. in noſtris

vero ſilvis tam nulla ſunt viſca, ut Abraamus Muntingius Groningenſis, exoticarum plantarum cultor ingenioſiſſimus, rationem non invenerit, ex ſeminibus aliunde aſcitis viſcum ſub noſtro cœlo procreandi. Sed nidificant viſcivori apud Sarmatas, Sileſios & Brandeburgicos, ubi pro viſco per hiemem non niſi oxyachanta utuntur. Adque Spream teſte Colero ante, quam alii turdi, capiuntur viſcivori. Sed ſi inde, aut ex Hercinia ſilvà, ad nos venirent viſcivori, ut pilares turdi, ſeptentrionales advenæ verno tempore inter refugas aves viderentur.

(13) *Verſu* 94. Turdos in caveis haberi, ſatis eſt aſſolitum. Galli Iliacos & viſcivoros, Sueci teſte Linnæo & Brandeburgici teſte Colero pilares in caveis habent, & teſte Olina Romani, ſed omnes a nido caveis immiſſos. Romani autem veteres advenas etiam, iliacos ſaltem & pilares, ab uno autumno ad alterum in caveis habuere: quod noſtratibus fas non eſt. Varronis cibos & tenebras, pullis & adultis, junctis & disjunctis dedi. Nullo profectu. Omnes moriuntur. Eademque Veſtphalis, & Albicolis eſt experientia, uti mihi reſcriptum ab amicis. In mentem igitur venit profugos ſeptentrionales ſive a cibis ſive a cœlo in ſanguine forſitan habere, quod vivere captos vetat. Coturnices per ver & æſtatem captæ vivunt, moriuntur autumnales captivæ. De ſturnis diverſo tempore captis eadem diverſa eſt experientia. Videbis inferius veriſimile eſſe, turdos, advenas etiam noſtrates, per hiemem aliquantum temporis latere.

(14) *Verſu* 107. In Lotharingiæ ſilvis nidificant iliaci teſte Guenaldo: Lotharingi veterum Leuci fuere. Propius noſtratibus iliacos nidificare dixeram in verſibus, vero ſimile non eſſe. Sed ſcripſeram hoc anno ſæculi ſeptuageſimo quarto, ante quod tempus ab omni memoria aucupum iliaci decem diebus poſt pilares advenere. Ab annis vero duobus, poſt duram illam hiemem, circa calendas Octobris cum primis pila-

laribus capiuntur. Unde iliacos nunc propius nobis deſediſſe conjector, uti etiam, ex verſibus poemati adjectis, inferius videbitur.

(15) *Verſu* 133. Licet omne turdorum genus ſub cœlo admodum Arctoo nidificet, pilares tamen longe majore numero quam cæteri. Præterquam Ornithologi, id mihi & nautæ & mercatores noſtri retulerunt, qui in Balthici maris portubus hibernarunt. Per Germaniam turdorum autumnalium captura, proprio nomine a pilaribus dicta eſt *Kramsvogelen vangſt.* Tempuſque fuit, quod in noſtris terris perpauci capiebantur iliaci; uti memini me à parente meo accepiſſe, cui id a ſenioribus aucupibus traditum fuerat. Nomenque Germanicum iliaci avem indicat non indigenam, ſed a terris vitiferis advectam: dicuntur enim Vinipetæ à Germanis, & ab ipſis Sarmatis Gedanenſibus, uti apud Kleinium videas. Neque aliud huic avi nomen Colerus dedit, qui plus ſæculo toto ante Kleinium ad Spream ſcripſit. Deinde per Germaniæ terras, ubi nunquam ante nidificarunt turdi, prius nidificant pilares, quod avem indicat frigidioribus illis terris magis propriam. Apud Gallos non nidificant, in pluribus ſaltem magni imperii partibus: neque apud Italos, niſi in gelidiſſimis Appennini jugis, piniferis quidem, ſed glacie & nive, perpetua fere, interſtratis.

(16) *Verſu* 140. Altera alteram avem profugam a ſedibus ſuis fugat. Atque inde, credo, ſola avibus aut præcipua eſt peregrinandi neceſſitas. Cui tamen cauſæ adjicias, increſcentem nimis in locis avium fœcundioribus multitudinem. Sed inde veniens neceſſitas tantos non propelleret greges. Propelluntur aves & quæ per hiemes cœlum tenent, & quæ laturæ ſunt. Deficiente ob advenas cibo, antequam latendi tempus advenit, inſtar anſerum & cornicum, propelluntur etiam, quæ latituræ ſunt: aveſque vernaculæ, & congeneres, ubi adveniunt, auſtrum verſus, ſed non in longinquum, propellunt. Morantur enim,

 ubi

Digitized by Google

ubi cibus copiam oſtendit. Sed ubi penuria, ſive a terra minus benigna, ſive a novis advenarum gregibus, longioris fugæ neceſſitatem imperat, propelluntur, uſque dum latendi tempus advenit. Et quæ locis apricis viciniores natæ ſunt, propulſæ ad aprica loca, cœlum hibernum patiuntur, & non lateſcunt. Turdi indigenæ noſtrates eam mihi ſententiam perſuaſere. Secedunt a majoribus ſilvis in minores, primo Septembris euro. Decimoque die Septembris a me capti ſunt, ſed exiguo numero & prope omnes pulli. Pullos enim, quos in nido noſtrate volucres vidi, ab exigua cauda, roſtroque flavo & magis tenero dignovi, & vernaculæ quod eſſent, a colore tergi minus fuſco. Quali omnes colore ſunt per æſtatem in ceraſis viſi, nec ſemel ab aliis noſtratum interfecti, quibuſque perſimiles erant in nido a me deprehenſi. Pulli igitur, quos certe noſtrates dicam, capiuntur ad vigeſimum quintum aut ſextum Septembris. Quo tempore in noſtris ſilvis primi videntur advenæ, ab Amiſei terris, credo, ad nos miſſi. Nonnihil diſcolores illi, licet pulli, ſed diſcolores magis, magisque fuſci ſunt & adulti & pulli, quo ſerius adveniunt. Noſtrates igitur pulli poſt primos advenas nunquam viſi aut capti, propulſi quod habeantur, neceſſum eſt.

(17) *Verſu* 162. Turdus a tardo dictus videtur Iſidoro. Certe volatu tardus eſt, comparatus autumnali ſturno, qui circa latendi tempus, ut in verſibus dixi, velut haſta per cœlum fugit: ille vero ſaltum imitante volatu, & quod magis viam longam facere impedit, dextrorſum & ſiniſtrorſum verſus, uti volitant greges, qui cibum quærunt.

(18) *Verſu* 176. Anſeres, anates feri, & cornices bicolores, longiſſimam avium mihi notarum quotannis peregrinationem faciunt. Anſerum & anatum aliqui apud nos manent: cornices bicolores nullæ. Veniunt ante idus Octobris, & nullæ ante Aprilis idus recedunt. Ad Archangeli litus, Moſcoviticæ terræ portum, uti a noſtris audio nautis, im-

immani numero per æſtatem videntur. Ad Viſtulæ vero oſtia (ubi etiam æſtivant) teſte Kleinio per omnem hiemem & magno numero morantur. Quæ apud noſtrates morari captiva cogitur (cogiturque perſæpe, quod pacifica & hominum patiens volucris invitat ad ſui capturam pueros) circa villatica tecta exciſis pennis ambulans moratur, piſciumque viſceribus & qualicunque cibo paſta, menſe Junio perit, vermibus dorſum peresa. Anſeres & anates feri apud noſtrates, ut in terra nimis populoſa, non mora æſtivant feliciore. Omnes enim cum genere & prætenero capiuntur.

(19) *Verſu* 200. Nihil magis in longinquum non peregrinari turdos docet, quam quod tam immenſis gregibus per Arcticam terram advenæ, perque noſtram multo pauciores, & ut Horatii verbo utar, numerabiles quodammodo tranſeant. Aves Gothicæ, Livones, Sarmatæ, Sileſiæ, & quæ propius ad Spream magno numero nidificant, ſi ad Alpes uſque & trans Alpes profugerent, uti exiſtimabat Kleinius, majore numero apud nos, quam apud Kleinii conterraneos, viderentur. Greges enim ab ultima Arcto profugi, greges intermedios ſecum trahentes, quanto numero apud noſtrates viderentur! partem quidem apud conterraneos ſuos manere, majorem vero partem peregrinari in remotiſſimas terras auſtrales exiſtimabat. Sed profugos greges cum veris tempore reverti non videret, alia via per Cimbros credebat & Gothos in ultimum ſeptentrionem reverti. Erat enim neceſſe, ut reverterentur: quo minus Siberia & ultimus ſeptentrio altero autumno turdos ad Viſtulam non remitteret: quos ſatis, credo, intellexerit Kleinius in iſta frigidiſſima terra hibernare non poſſe. Sed cur avibus illis aliud iter autumno, aliud placeret vere? Et, ſi Borrichius Cimber, & Linnæus, qui Gothus natione fuit, revertentem immenſum illum numerum vidiſſent, alter turdos non latere ſcripſiſſet ſub aquis, alterque mentionem aliquam revertentium feciſſet. Multo enim minus notabilia Linnæus de turdis memoriæ prodit. Sed certe neque

 per

per Cimbros neque per Gothos revertentes videntur. Antequam enim ab Alpibus & ab Italia uſque ad illos pervenirent, viderentur a populis, qui de avibus quotannis ſcribunt; viderenturque, uti per litora proficiſci ſolent, a noſtratibus: qui perexiguos greges vident reverti, & tam ſero morantes, ut vix partus tempore Viſurgim aut ad Melibocum pertingant.

(20) *Verſu* 209. Compendium cis Pariſios, ad octodecim Leucas Belgium verſus, Galliæ regis villa eſt, hinc planitie, inde collibus & ſilvis undique circumcincta. Ad cujus immenſæ & denſiſſimæ ſilvæ extimos dumos per Novembrem, confluunt & magno numero capiuntur iliaci. Sex ſeptimanis ocius capiuntur a Burgundis: & Guenaldus, qui Burgundus eſt, Iliacos illos Compendienſes, advenas, & ſeptentrionis extremi alumnos exiſtimat eſſe. Quid? cum per omnem Galliam nidificant, deque interioribus ſilvis, uti teſtatur Guenaldus, ad earum latera ſe recipiunt? Sed ſi illos Compendienſes, aut Picardos, advenas eſſe aſſeverat, quare tot ſeptimanis ocius ſeptentrionales advenæ ad magis auſtralem Burgundiam veniunt? diverſiſſimæ, & admodum alienæ apparitionis ratio non invenitur, ſi quos per hiemem Burgundia & Compendium videt turdos, advenæ ſunt & Sarmatæ; invenietur facillime, ſi ſunt indigenæ. Burgundiam aëriis, ſilvoſis, ideoque frigidiſſimis montibus, Compendium vidi ſilvis circumſeptum apricis, ſerius turdis victum, ſeriuſque teporem præſtantibus. Ex Burgundiæ igitur ſilvis multo frigidioribus citius deſcendunt, quam ex apricis Compendii & pinguis terræ ſaltubus. Et quare iliaci apud Burgundos campeſtres diu ante pilares veniunt? Si utrumque genus ex ultimo veniret ſeptentrione, præcederet, uti in noſtris locis, genus pilarium. Sed non nidificant pilares ſicut iliaci in Burgundia: videri advenas igitur poſt indigenas, quid mirum? Neſcio quam prope Burgundiam nidificent pilares, ſed ſi in Vogeſi ſilvis non æſtivant, Germaniam Rheno proximam nidis frequentant. Nec dubito, quin proximiores

Bur-

Burgundiæ, inque Lotharingiæ ſilvis nidificent. Inde igitur eos venire in Burgundiam vero ſimilius, quam ex remotiſſimo ſeptentrione, veroſimilius dico, ne verbis minus lenibus illuſtriſſimo Guenaldo contradicam.

(21) *Verſu* 225. Turdos Cimbricos ſub aquis latere ſcripſit Olaus Borrichius, interque ſcopulorum fiſſuras repertos fuiſſe teſtatur Georgius Agricola, qui Miſniacus fuit. Utrum in terra minus frigida, & apricis terris viciniore, quam Saxonia eſt, lateſcant, nullis teſtibus aut experientia afferam. Sed allegati magni nominis teſtes latere turdos inter turtures & ſturnos viderunt. Sturni in noſtris terris latent, ut ipſe multis circumcinctus teſtibus vidi, inchoantque latebras ſuas ab idibus Octobris, & aliquot ſæpe diebus prius. Sed in cœlo noſtro conſpiciuntur pilares quindecim diebus ſerius, ſerius multo iliaci, & per omnem ſæpe hiemem conſpiciuntur viſcivori. Turdis igitur omnis generis minor eſt latendi neceſſitas, quam ſturnis.

(22) *Verſu* 272. Nulla forſitan avis ab hominibus magis deſtruitur, quam turdus. Gabriel Racincius Polonus naves turdis confertas ex Sandomiria in inferiorem demitti Poloniam, tantumque ſcribit numerum capi ab Elbingenſibus, ut venationis tempore vendi non poſſint. Deplumes butyro perfuſos in doliis ſcribit ſervari, & mercium inſtar in populos finitimos diſtribui. Apud Sileſios aves eædem ſemiaſſæ aceto immerguntur, quod, quæ capiuntur per Octobrem, comedi nequeant: licet omnis & infimus populus per menſem nonniſi turdis paſcatur teſte Suenfeldio, qui ſuum Sileſiæ Aviarium anno edidit ſuperioris ſæculi ſeptimo. Non eſt igitur recens turdorum omnis generis deſtructio. Quodque illa per eas gentes non ceſſet, noſtri temporis teſtis docet Kleinius: qui præter infinitum numerum a ſolis Gedanenſibus quotannis deſtrui ſolitum, Myriades turdorum ſcribit deſtrui in Boruſſia, Myriades in Po-

Digitized by Google

lonia. Cibum Racincius ſcribit ſaluberrimum inveniri, ſed tam aſſiduo ſumptum, unis credam ſaluberrimum inveniri Polonis.

(23) *Verſu* 300. Quantumcunque deſtruuntur, turdos non imminui apud Viſtulam videri, & aquè numeroſos quotannis, maris arenas vincente numero, reverti ſcribit Kleinius. Nequaquam hoc illi mirum ſit, qui ſuperſtitem multitudinem, longe majorem, latebris apud Viſtulam conſervari, demptamque laqueis, per æſtatem nidis, perque autumnum adventitiis gregibus reſtitui exiſtimarit. Neque numerum non imminui admirari potuit Kleinius, qui advenas tam longe & ab extrema Siberia ad Viſtulam deduxit, eaque immenſi itineris facilitate deduxit, ut maxima pars Cimmeriis illis terris reſtitui poſſet. Sed miror hominis bonum judicium non vidiſſe, perire quotannis exſomnes per Siberiam, perire exules debuiſſe per ſævas hiemes: quarum in vita ſua Kleinius binas ſenſit, adoleſcens annum nonum, & quadrageſimum ſæculi, cum jam multa ſuper avibus obſervarat. Et ſi animum obſervator avium ad eas hiemes non advertiſſet, ad Cimmeriam illam Scythiam reſpiciens, qua ratione incolumes ibi per hiemem turdos vivere crediderit, non video. Nox continua, & terra nivibus clauſa quem illis præbere potuerit cibum? manentes ad Viſtulam per lenes hiemes cœlo utentes viderat: ſed lucet ad Viſtulam, & ſæviore hieme quod Viſtula turdos non videat, certo certior ſum: & ſi non videat, ubi ſint non viſi, niſi in latebris?

(24) *Verſu* 328. Sicuti advenas aut refugos relinquunt turdi, ubi prius nulli fuerant, relinquunt certè & majorem numerum, ubi locum à natura pridem generi ſuo accommodatum repererint. Cum vero advenæ reſpectu loci, quò adveniunt, ſemper boreales ſint, vacua turdis ſedes quò vicinior eſt locis frigidioribus, eò promptius numerum ſuum recipiat. In locis enim frigidioribus teſte experientia nunquam deficiunt turdi. Præter Kleinii experientiam habemus Suenveldium, qui Sileſios, ha-

Digitized by Google

habemus Colerum, qui Brandeburgicos turdos nunquam defeciſſe viderunt. Latere Saxonicos vidit Agricola, & præter Agricolam Zornius, qui noſtro ſæculo vixit. Si per latebras incolumes ſunt Saxonici, ſerventur per latebras Sileſii & Brandeburgici. Per eorum igitur advenas reſtituere turdos ſuos Melibocus, reſtituere potuit Viſurgis, & Albis Oceano propinquior: unde advenas ad nos venire conſueviſſe, docui in verſibus, plus quam vero ſimile eſſe.

(25) *Verſu* 333. Deleri & reparari in aliqua terra turdos poſſe, per hominum gentem nullam aptius oſtendam, quam per eam, quæ maxime mihi cognita eſt. Decæarchus, qui de interitu hominum apud Ciceronem in Officiis ſcripſit, terram hominum magis deletricem, & nullam certè oſtendere potuiſſet, incolas citius ſibi reparantem. De tribus hominum deletricibus cauſis, quas in verſibus dixi Batavis nocere, una eſt, quæ ab omnibus retro ſæculis nocuit: terra nimirum cœlo ſuo hominum deletrix. Quatuor ante Chriſtum ſæculis reparati ſunt Batavi immigratione Cattorum. Qui, ſi poſt ingreſſum Romanorum terram incolis omnino vacuam non vidêre, tantam, poſt eorum diſceſſum, tamque continuam multitudinem immiſere, ut eos Bataviam noſtram incolis propè vacuam non ſemel reperiſſe, credibile ſit. Et ſi ſecuto tempore non ſingulis ſæculis venit ingens juncta hominum colluvies, per vim vacuos agros occupans, fideli ſcimus hiſtoria, nequaquam a Cattis deſtitum eſſe, colonos Batavis ſingulis annis ſubmittere. Idque in hunc diem uſque non modo a Cattis, ſed ab omni fit Germania eum in modum, ut advenarum manentium numerus ad viginti millia hominum apud Batavos & fœderatum Batavis populum quotannis aſcendat. Qui tantus numerus ne ſupervacuus ſit, faciunt quidem navigationes, & Coloniæ Indicæ, faciunt & bella; quæ á ducentis annis intra tam exiguum terræ ſpatium plus certè hominum, quam in ulla paris ſpatii terra, abſtulere: ſed plus quam bel-

bellum, plus quam mare, & India, hominum noſtratibus aufert, terra cœlo ſuo, uti dixi, hominum deletrix.

(26) *Verſu* 340. Conſtans & vetus experientia Iliacos turdos circa nonum decimum aut undecimum Octobris diem venire viderat: ſed per duos jam autumnos ultimo Septembris aut primo die Octobris non unum ſed complures captos vidi. Utque prioribus annis ſeriores, ita nunc primis pilaribus advenis juncti deſcendere in ſilvas noſtras viſi ſunt. Quid aliud exinde arguas, niſi deſediſſe & nidificaſſe Iliacos in locis, Pilares tantum ante expellentibus? Veniunt alteri greges ſolito tempore. Neque ſeriſſimi ad ſuos dies videri deſtiterunt. Manſerunt igitur primi-iliaci, unde prius verno tempore remigrarint, ſed ubi nunc, (pilarium numero per frigus exhauſto aut imminuto) locum nidis & cibis aptum invenerint. Aliam ſaltem ex diſpare eorum adventu conſequentiam ratio mea non deducat.

(27) *Verſu* 385. Viſcivorum turdum Geſnerus nidificare vidit in cavo arboris trunco. Teſtis Geſnero non minor, qui Viſcivorum per humiles & per altos fagi ramos nidificare vidit, Illuſtriſſimus eſt Guenaldus. Fagosque non tantum, ſed & arbores eligi ſcribit quaſcunque denſioris foliaturæ, & quibus cortex eſt muſco veſtitus. Viſcivori nidum multa arte compoſitum laudat Zinannus, merulæ nidis ſimilem, & ramis dicit altioribus tam firmo luto illigatum, ut valentiſſimos ferat ventos. Ova quinque numero, cortice admodum tenui, virentia, ſed virore claro, parvisque & rotundis maculis interſtincta bis quotannis avem ponere ſcribit idem Zinannus.

(28) *Verſu* 373. Cum turdum meum primæ editioni appararem, credebam Viſcivoros non propius noſtratibus nidificare quam in Germania auſtrali & circa Tigurinos. Poſt eos & in Lotharingia & in maximis

Bel-

Digitized by Google

Belgii Cæſarei ſilvis nidificare didici. Nidificant & per omnem ſeptentrionalem Germaniam, perque Sarmatiam & Sueciam. Nequaquam igitur tam auſtralis avis eſt, quam mihi primum viſa. Sed quod ex locis frigidioribus ad nos non adveniunt viſcivori, videtur & ſerior eorum adventus indicare, & quod ſeptentrionem verſus nulli inter pilares refugiunt. Quos ultimus circiter Februarius ex noſtris terris vidit defugiſſe, tepidior videtur, quam frigentior tractus ſubduxiſſe.

(29) *Verſu* 380. Pompejus jam grandis natu, poſtque diuturnum morbum cibi faſtidio laborans, a medicis, ut turdo uteretur, admonitus fuit. Sed cum præterita earum avium apparitione in macello non veniret, turduſque (cibus valenti forſitan dilectus, & qui palatum ægro refricaret) haberi non poſſet, niſi ex aviariis Luculli, maluit cibo commendato abſtinere, quam eum ab homine ſibi adverſo petere. Abſtinendum ipſi non fuiſſet, ſi viſcivorus, maximo turdus in pretio, aut ægro placiturus fuerat. Nullo non tempore per omne videtur Latium, & facile ex Italia remotiore, ubi omni tempore pariter abundat, haberi Pompejo potuiſſet, tot aucupum domino. Iliaci igitur & Pilares aut alterutri eorum in caveis habebantur a Romanis, & utrique in hunc uſque diem ab Ornithologis Italis, ut delicatiores commendantur.

(30) *Verſu* 384. Scribit Olina, turdos pilares in montibus Romæ appoſitis nidificare, & delicatiſſimum Romanis cibum videri: ſed nihil de ovis, nihil de forma nidi, præter morem in aliis avibus obſervatum. Aldrovandus, qui Bononiæ ſub imminentis Apennini jugis ſcripſit, inque avium nidis deſcribendis longus eſt, de pilaris turdi nido, ut ſi nuſquam terrarum eſſet, tacet. Tacetque pariter de ea ſibi præcipua re Zinannus, quod omnibus credo indicat, pilarium nidos perraros in Italia eſſe.

(31) *Ver-*

(31) *Verſu* 388.. Decem ultimos Septembris, & decem primos dies Octobris Florentiæ exegi, intraque eorum ultimos dies expoſitos videns in macello turdos, quod à puero earum avium auceps fueram, memini me ad eas acceſſiſſe, & longo plures iliacos quam pilares inveniſſe. Eſſe vero poteſt, quod pilares ibi feriores ſint advenæ, numeroque majore poſt decimum Octobris diem videantur. Et aptiſſimum turdis multo numero capiendis tempus apud Tuſcos decem diebus ſerius eſſe, video ex poemate Bargæi, qui illud ſæculo ſcripſit decimo ſexto, & in eo egregio opere aucupium turdorum fervere apud Tuſcos teſtatur,

Cum mediæ cedentem ex limine libræ
Scorpius excepit ſolem.

Eoque tempore Pilares non apud Tuſcos deficere, videtur docere, verſibusque non modo perpulcris, ſed de turdis incognita tradentibus. Apponendos igitur cenſeo, qui tales ſunt.

Tum caveis auceps quos ante incluſit opertis,
Invitat lenes effundere pectore voces,
Et tempeſtivum garrire & fundere cantum.
Quos inter tibi ſi quis erit, qui ſtridere acutum
Turdus amat, hunc tu cerebro compeſcere fracto
Ne dubita. Monet ille alios diſcedere longe
Proditor, & tutas curſum contendere ad oras.
Illum autem lautè baccis nutritor & uvis,
Quemcunque inſpectum, ſub fulvo pectore, caſtæ
Palladis inſultaſſe vides bacciſque comiſque.

Quid ſignificant iſti verſus aliud, niſi iliacos turdos ad caveam eligendos, eoſque ſolos paſcentes olivas videri? Quod ſi ita eſt, turdus ve-

te-

terum palato delicatiſſimus, non pilaris ſed iliacus fuit. Turdum enim olivis paſtum menſæ gloriam fuiſſe, docent veterum poetæ tantum non omnes.

(32) *Verſu* 394. Non terra apud Italos turdis aptior eſt, quam ager Picenus, & omnis illa regio, quæ ab Ancona Ravennam uſque ad mare Hadriaticum extenditur, Veteribuſque a viæ militaris ſtructore Æmilia dicta fuit. Quidquid turdorum in proximo & ſilvoſo Apennino nidificat, verſus pingue & ſilvis viride litus ſub autumnum deſcendat. Neque ab eo olivifero litore tricenas ultra leucas diſtat turdis frequens Illyria. Unde ſub autumnum per ſcopulis plenum mare ad Picenos facile greges perveniant. Et quod turdis maxime, veterum tempore, frequens fuit Auſonis hæc ora, omnes teſtantur veterum Latinorum poetæ.

(33) *Verſu* 398. Quando ante duodecim annos ſcribebam iliacos ægerrimè caveam ferre, indeque inferebam Pilares forte tantum in caveis veterum ſervatos fuiſſe, nondum in mentem venerat, quod in nota XIII. lectorum meorum conſiderationi expoſui. Ea conſideratio licet iliacum italicum caveis aptiorem faciat, avis tamen iliaca magis ſilvatica & hominum impatiens eſt, quam pilaris aut viſcivora. Sed durior quoque & vitæ tenacior videtur. Laqueis deprehenſus magis ſe exagitat, & diutius cæteris collo ſuſpenſus vivit. Quod tamen in tantum tempus non ferat, quam ſturnus, ut ab aliis obſervatum & mihi traditum.

(34) *Verſu* 407. Silva turdaria ex alnis potius quam ex betulis debet conſeri, quod illa pinguiorem & vermibus aptiorem facit terram, quodque pinguia ejus ſilvæ folia magis araneis muſcis & tineis ſcutati tergoris abundant: interſeri debet rubis, licet per Octobrem non amplius fructiferis, foliatura turdos allectantibus: iliceis denique aut fagineis

neis circumcingi dumis, quod brevior alnorum foliatura ſilvam ab utroque latere perſpicuam circa idus faceret Octobris, turdoſque iliacos a laqueis deterreret. Turdique omnes in locis magis umbroſis ſibi placent, forte quod a milviis ſe in iis tutiores experiuntur. Video apud Bargæum, ididem turdorum aucupio neceſſarium Tuſcis fuiſſe. Silvam ille iliceam buxo circumdari debere ſuadet:

Sat fuerit, ſi ſilva nigra circumdata buxo
Conſitaque ilicibus denſis ſurrexerit, unde
Æthereas tantum pateat proſpectus in auras.
Quæ tamen haud ſpatioſa fluat; ſed finibus inter
Clauſa ſuis, tercentenas circum ambiat ulnas.

Vides & Bargæum ſilvam non amplam deſideraſſe. Magna enim diſpergit turdos, cibique tantum promittit, ut ibidem a te poſitum cibum præterierint. Sunt quoque, qui advenas greges in ſilvas majores infrequentius labi, expertos ſe teſtantur: ſilvamque credunt eligi breviorem, quod in ea non diſpergendus grex facilius ſe convocet, ſive ad proſequendum iter, ſive cum a Milviis infeſtentur. Paulo tamen amplior, quam Bargæi ſilvula, requiritur, turdos ad aliquem numerum noſtro modo capturis. Bargæus viſco tantum capiebat turdos. Romani vero laqueis turdos capiunt, ſed operoſioribus & minus bonis, quam ſunt Germanorum & noſtrates laquei. Romanorum laqueos apud Olinam depictos vides. Capiebat & ille has aves tollonibus, pariter apud eum depictis. Sed uti crudelem illum capiendi aves modum, & nequidem licitum credo, perinutilem vidi. Quiritantur enim deprehenſæ in tantum, ut non modo milvios acceſſant, ſed ſi numerus quiritantium augeatur, & liberum gregem exterritum in fugam præcipitet.

(35) *Verſu* 444. Vaferrimum turdum iliacum eſſe dicunt ornithologi, &

& nuſquam laqueis albis capi. Pilarem non unum laqueis albis cepi: laqueosque nullos collo ſuccutit pilaris, quod in locis minus umbroſis ab iliaco ſieri vidimus. Proximior denique pilaris ad villatica tecta accedit, voce hominum parum exterritus, minusque ſuſpicax videtur, quod in hac & Batava populis frequentata regione nidos jam ponere non dubitat.

(36) *Verſu* 456. Singularem illum in verſibus deſcriptum turdum ante annos circiter quindecim primus aucupum noſtratium cepi. Quem tum viſcivoro duplo majorem, aviumque dignoſcendarum minus eo tempore peritus, viſcivoris propiorem judicavi, uti teſtatur prima opuſculi hujus editio. Sed hoc autumno perſimilem ab amico captum vidi: qui ut agrum habet duobus tantum paſſuum millibus a meo diſſitum, ut ſingulariſſimum turdum, quem vivum ceperat, dijudicarem, rogavit. Erat ille viſcivoro major, ſed non duplo: pilari ſimilior, quam viſcivoro. Habebat caudam præ omnibus turdis, etiam pro modo corporis, longiorem. De tergo viſum magis ad viſcivoros eum accedere dixiſſes. Sed pectus candens pilarium maculis diſtinctum, venterque pariter candens, paribusque maculis ad uropygium usque interpictus, pilarium generi propinquiorem aſſerebat. Pedesque flavi, & margines roſtri pariter erant, ut in junioribus pilarium, flavi: roſtrumque totum pilaris roſtrum referebat. Habet vicinus ille meus villicum ex Heſſis (Veterum Cattis) oriundum, ab annis compluribus ipſi ſervientem: qui turdum dicebat apud Heſſos non admodum eſſe infrequentem, viſumque a ſe fuiſſe, qui in ſupernæ caudæ principio, aliquot roſei coloris plumas habebat. Quod, ut a tali homine, ſed ſene & probo relatum, adſcribi poſſe, nihil viſum eſt vetare.

Digitized by Google

(37) *Verſu* 464. Eram anno ſeptuageſimo tertio ineunte Pariſiis turdosque in Muſeo Regio videnti quartum turdorum genus oſtendebat inſcriptio, quod properantibus oculis inſpectum pilare aut iliacum, ſed veris tempore captum videbatur. Scribebam igitur in Turdo meo, varietatem, quæ novum genus apud Ornithologos creaverat, plumis ab anni tempore mutatis adſcribendam eſſe. Sed vix fuit, quod ſcripſeram, editum, cum & Turdus illuſtriſſimi Guenaldi editus, varium, Pariſiis inter exſuctas aves viſum, turdum docebat Ariſtoteli incognitum fuiſſe. Turdos igitur quos iis annis magno numero capiebam, diligentius inſpiciebam. Viſumque, (& ex collatis pluribus viſum non difficulter) Iliacum juniorem eſſe, qui in Gallia pro quarti generis turdo accipitur. Quod licet adjectis poemati verſibus ſatis unicuique ante oculos poſuerim, notulam hanc tamen feci, ne prima turdi mei editio inſpecta, quæ me deceptum fuiſſe docet, opinionem meliorem, & quam ut certam auſim proponere, infirmaret.

(38) *Verſu* 480. Turdus iliacus vertice canus ab *Aldrovando* delineatus, & ab eo leucocephalos dictus, novum turdorum genus ſecutis aliquot Ornithologis fuit; mihi vero turdus ſenior. Nempe & a Linnæo viſus eſt iliacus, cui albeſcebat ſtria, quæ ſuper adultorum oculos fulva conſpicitur. Captus & a me fuit iliacus, ſtriam illam prope caneſcentem oſtendens: quem cum ex eo ſigno ſeniorem eſſe ſuſpicabar, apponi inter alios turdos, notatum, in cœna juſſi, & vix manducabilem inveni, omne pectus nervos, omne cartilaginem eſſe.

(39) *Verſu* 490. Cupediariis, & de aſſandi turdos gloria certantibus, nulla certe utilior eſt doctrina, quam quæ iliacos & pilares dignoſci fecit. Adjungendum, recens captos menſis aptiores eſſe. Inci-

piens

piens putredo vel minima amaritudinem viſceribus addit, quæ perquam eſt ingrata.

(40) *Verſu* 444. Dixi ſuperius turdos aliquibus in terris barbatulos eſſe. Tales pilares Guenaldus in Burgundia, tales in Italia vidit & depinxit Aldrovandus. Nec dubito, quin unumquodque genus pro natali terra majus & minus inveniatur. Vidi iliacos notis longe minores. Amicis Batavis exſuctarum avium gazophylacia habentibus, conſului, ut non tam exoticas, noſtræque terræ incognitas, immenſo ſæpe pretio, ſed exoticas, quas pariter & nos habemus, per nautas ſuos convehi juberent: differentiam inde ex vario cœlo & varia terra factam cognoſcendam eſſe, eamque differentiam facturam, ut turdus Gadibus aut Gedano aut ex Norvagia adductus, & vili pretio adductus, grande pretium adderet gazophylaciis. Quod ſe facturos eſſe cum mihi ab uno & altero promiſſum ſit, notiſſimarum avium cognitionem exinde mihi auctiorem promitto.

(41) *Verſu* 520. Catſius, Ovidius noſtratium, in Annulo, credo, Nuptiali ſuo de turdis habet, quod ab illo commemoratum in verſibus meis retuli. Cum vero turdi maxime fagis gaudeant, inque fagis nidos ponant, cumque nidificent noſtro tempore in Batavis, uti apud Nozemannum video, potuit Catſius turdos cantantes audiviſſe in villa ſua tam apud noſtrates celebri. Quam fagis confertiſſimam & Catſii tempore fuiſſe ante triennium didici. Cum enim villam illam pulcerrimam etiam nunc cum amico quodam meo ineunte vere perambularem, excidebatur ultima ſuperſtes fagus, Catſii manibus, ut dicebat nobis horti cuſtos, ante paulo plus quam centum & quadraginta annos poſita. Catſium virum & poetam amabilem, multiſque dotibus egregium, exteris notiorem fa-

Digitized by Google

cere vel alienus permittit locus. Apponam igitur ex iconibus meis ineditis, quod de eo, nec nimis longum, compoſui.

Icon JACOBI CATSII, magni Hollandiæ Penſionarii, Nati anno 1577. Defuncti anno 1660.

Catſius, oſtenſus per maxima munia Belgis,
Poſt cineres muſa noſcor, amorque, mea.
Deque illa jactem, quod vatum nemo priorum,
Priſcos, ſive, recens qui cecinere, vides.
Rex ut, qui regnat, populo ſum cognitus omni,
Quamque canens notus, poſt mea fata fui.
Utque prior cunctis cecini bona carmina Belgis,
Optima mirantur, quæ data prima legunt.
Cumque nocet nimium ſcripſiſſe, per omnia laudor
Scripta, licet vatum tot, puto, nemo dedit.
Perque meos verſus ad maxima munia veni;
Ad quæ per verſus quis ſibi fecit iter?
Contigit hoc etiam, quod vivo gloria parta eſt;
Juvit & hæc ſenſus per prope luſtra decem.
Cumque ſolet celebres livor mordere poetas,
Invidiæ nulli gloria noſtra fuit.
Et Batavûm nulli quod contigit, omnia noſtra,
Qua data ſunt lingua, verſaque Teuto legit.
Tam faciles verſus, tam ſcribere moribus aptos,
Argumenta legi tamque venuſta juvat.

ME-

M E R U L A.

Nondum, me puero, noſtris res cognita terris
Nidus erat merulæ. Silvis creſcentibus illa
Nunc quoque manſit avis, nidumque dat omnibus annis.
Sed non ſepoſitis tamen advena vixerat oris:
Drentia, & Amiſei, multis lætiſſima ſilvis,
Terra ferebat aves; ubi forte per omnia viſæ
Sæcula, Quintilii ſubierunt fercula Vari (1). (bes,
Quique recens turdus, quæ galbula, quæque palum-
Quæque per has oras nidum facit una ſcolopax,
Deque Caledoniis data ſaltubus eſſe putatur (2),
Non procul huc veniunt me judice. Quippe paterno
Diſſita terra ſolo, non colle, nec aëre noto,
Nec dape conſueta gaudentes duceret. Utque
Curſibus immenſis macras præſtaret, & ægras (3);
Sic nihil alliceret ſub verni temporis horam,
Cur longum refugas iter affectare juvaret.
Multum alius movet aër aves. Et cauſa ciborum
Sola moram faciat. Vermes, inſectaque terræ,

-cere vel alienus permittit locus. Apponam igitur ex iconibus meis ineditis, quod de eo, nec nimis longum, compoſui.

Icon Jacobi Catsii, magni Hollandiæ Penſionarii, Nati anno 1577. Defuncti anno 1660.

Catſius, oſtenſus per maxima munia Belgis,
Poſt cineres muſa noſcor, amorque, mea.
Deque illa jactem, quod vatum nemo priorum,
Priſcos, ſive, recens qui cecinere, vides.
Rex ut, qui regnat, populo ſum cognitus omni,
Quamque canens notus, poſt mea fata fui.
Utque prior cunctis cecini bona carmina Belgis,
Optima mirantur, quæ data prima legunt.
Cumque nocet nimium ſcripſiſſe, per omnia laudor
Scripta, licet vatum tot, puto, nemo dedit.
Perque meos verſus ad maxima munia veni;
Ad quæ per verſus quis ſibi fecit iter?
Contigit hoc etiam, quod vivo gloria parta eſt;
Juvit & hæc ſenſus per prope luſtra decem.
Cumque ſolet celebres livor mordere poetas,
Invidiæ nulli gloria noſtra fuit.
Et Batavûm nulli quod contigit, omnia noſtra,
Qua data ſunt lingua, verſaque Teuto legit.
Tam faciles verſus, tam ſcribere moribus aptos,
Argumenta legi tamque venuſta, juvat.

ME-

MERULA.

Nondum, me puero, noſtris res cognita terris
Nidus erat merulæ. Silvis creſcentibus illa
Nunc quoque manſit avis, nidumque dat omnibus annis.
Sed non ſepoſitis tamen advena vixerat oris:
Drentia, & Amiſei, multis lætiſſima ſilvis,
Terra ferebat aves; ubi forte per omnia viſæ
Sæcula, Quintilii ſubierunt fercula Vari (1). (bes,
Quique recens turdus, quæ galbula, quæque palum-
Quæque per has oras nidum facit una ſcolopax,
Deque Caledoniis data ſaltubus eſſe putatur (2),
Non procul huc veniunt me judice. Quippe paterno
Diſſita terra ſolo, non colle, nec aëre noto,
Nec dape conſueta gaudentes duceret. Utque
Curſibus immenſis macras præſtaret, & ægras (3);
Sic nihil alliceret ſub verni temporis horam,
Cur longum refugas iter affectare juvaret.
Multum alius movet aër aves. Et cauſa ciborum
Sola moram faciat. Vermes, inſectaque terræ,

cere vel alienus permittit locus. Apponam igitur ex iconibus meis ineditis, quod de eo, nec nimis longum, compoſui.

Icon Jacobi Catsii, magni Hollandiæ Penſionarii, Nati anno 1577. Defuncti anno 1660.

Catſius, oſtenſus per maxima munia Belgis,
  Poſt cineres muſa noſcor, amorque, mea.
Deque illa jactem, quod vatum nemo priorum,
  Priſcos, ſive, recens qui cecinere, vides.
Rex ut, qui regnat, populo ſum cognitus omni,
  Quamque canens notus, poſt mea fata fui.
Utque prior cunctis cecini bona carmina Belgis,
  Optima mirantur, quæ data prima legunt.
Cumque nocet nimium ſcripſiſſe, per omnia laudor
  Scripta, licet vatum tot, puto, nemo dedit.
Perque meos verſus ad maxima munia veni;
  Ad quæ per verſus quis ſibi fecit iter?
Contigit hoc etiam, quod vivo gloria parta eſt;
  Juvit & hæc ſenſus per prope luſtra decem.
Cumque ſolet celebres livor mordere poetas,
  Invidiæ nulli gloria noſtra fuit.
Et Batavûm nulli quod contigit, omnia noſtra,
  Qua data ſunt lingua, verſaque Teuto legit.
Tam faciles verſus, tam ſcribere moribus aptos,
  Argumenta legi tamque venuſta, juvat.

ME-

MERULA.

Nondum, me puero, noſtris res cognita terris
Nidus erat merulæ. Silvis creſcentibus illa
Nunc quoque manſit avis, nidumque dat omnibus annis.
Sed non ſepoſitis tamen advena vixerat oris:
Drentia, & Amiſei, multis lætiſſima ſilvis,
Terra ferebat aves; ubi forte per omnia viſæ
Sæcula, Quintilii ſubierunt fercula Vari (1). (bes,
Quique recens turdus, quæ galbula, quæque palum-
Quæque per has oras nidum facit una ſcolopax,
Deque Caledoniis data ſaltubus eſſe putatur (2),
Non procul huc veniunt me judice. Quippe paterno
Diſſita terra ſolo, non colle, nec aëre noto,
Nec dape conſueta gaudentes duceret. Utque
Curſibus immenſis macras præſtaret, & ægras (3);
Sic nihil alliceret ſub verni temporis horam,
Cur longum refugas iter affectare juvaret.
Multum alius movet aër aves. Et cauſa ciborum
Sola moram faciat. Vermes, inſectaque terræ,

Arborei fœtus, ſtirpesque & gramina cum ſint
Altera pro cœlo, dic, unde moleſtius illis
Exſilium, placeatque remoto nidus in orbe?
Paulatim ſua regna homines, ſua regna volucres
Produxēre, quibusque locis cunabula ponunt,
Omnia reppererant, & vitæ & idonea nidis:
Omnia quæ tellus non proferat omnis abunde.
Sed merulas, quas ova recens hic ponere, dixi,
Sub brumam profugæ, numero majore videntur,
Quam quas Amiſeus, Drentinaque mitteret ora.
Adde igitur, quas jungat aves venientibus Albis
Proximus oceano, ſilvoſaque ripa Viſurgis.
Longius accitæ laſſarent corpora tarda;
Subque dies veris, cœlo, victuque, novisque
Affectæ ſilvis, cœlum revidere relictum
Et cuperent ſilvas, quas non reperire daretur,
Aut reduci magnetis avi conceſſeris uſum.
Sed male veloci neque gemmam hanc noſſe, neceſſe eſt.
Cum paribus, patriæque locis propioribus hæret,
Rara ſub Octobrem patriæ quæ frigora fugit.

Quæ-

Quæque ſub autumnum non deſperaverat eſcæ,
Nata per auſtrales avis & velocior oras,
Haud iter affectat, piceasque relinquit amatas (4).
Et fugerent, ſilvasque Spreæ, ſilvasque Boruſſi
Littoris implerent, Gothiæ ſuper æquora vectæ,
Veloces minus Arctoæ, queis frigore tardus
Sanguis hebet, viſaque ſopor venit altus ab urſa?
Charta ſenis docet hoc famæque accepta Coleri (5).
Sed merulis per lenem hiemem ſe aſpectat opertum
Viſtulaque & Viader; quæ frigore tacta rigenti
Protinus ad latebras fugit indiga turba ſopore.
Scilicet Agricolæ (majorem adducere teſtem
Vix licet) Agricolæ, cui quanta ſcientia rerum,
Tanta fuit probitas, quo ſe Germania cive
Jactat, & Auſoniam ſæclo ſuperavit inerti,
Agricolæ magno ſic condita viſa volucris (6),
Condita Semnonum ſcopulis, quâ flumine rauco
Sala ruit, ſilvasque videt folioque perenni.
Perſimilis tellus, diverſo ſubdita cœlo,
Alpibus aëriis impoſta Subaudia, ſomni

Expertes merulas, nivibusque illudere cernit,
Torquatasque aliis medias, ut menſe Novembri
Vidimus, anguſtas quoties via panderet Alpes.
Unde mihi ſimiles muſcis habeantur, aprica
Quas vigilare videt domus & volitare, ſed acri
Frigore contactas par ſopit inertia letho.

Nec dubito, quin acris hiems, ſi frigus iniquum (7)
Sævius extendit, ſopitis noxia muſcis,
Et vigiles volucres, & ſomno occidat inertes.
Nam grave præteritis quod frigus ſæviit annis,
Treſque ultra menſes terram nive clauſit opertam,
Quam ſtragem dedit alitibus, latumque per orbem? (8)
Vidi aquilas, vidi confectos frigore corvos,
Vidi cornices labentes æthere, & illas
Quas tellus nobis bicolores Arctica mittit.
Cumque idus ad Aprilis hiems quæ duruit, auſtris
Ceſſerat & zephyris, rariſſima quæque volucris
Parva videbatur, rariſſima grandior ales.
Utque aberant villis embryza, & paſſer; ut una
Fringilla in ſilvis, cœloque canebat alauda:

Pe-

Pene fuit nullus per rura, per oppida, ſturnus,
Ipſaque perrara ſaliebat in arbore pica.
Quæque omnis noſtris ſe tractibus abdit hirundo,
Perſenſit latebris penetrabile frigus, & agris
Pluribus æſtatem vix eſt conſpecta per omnem.
Quod mirere tamen, philomela tenerrima fibris,
Tempore ſe, numeroque ſuo, ſolitoque canore
Nec nimis ob frigus dilato, reddidit hortis.
Serior exceſſit ſolito lacubusque, fretisque,
Sed ſalva, & cunctis revocata ciconia nidis.
Nec periit perdix cœlo noſtrate perennans,
Nec periit cœlo latitans noſtrate coturnix (9).
Æquo etiam numero ſilvis poſt frigora viſa eſt
Galbula, uti perhibent, merulæi ſanguinis ales.
Et gavia, & cuculus, turturque, & reddita paucis
Menſibus in noſtris ſe condens ardea ſilvis (10).
Contra aberant cœlo falcoque & milvius omni;
Pacatosque avibus nidos fecere, per annum
Non modo, ſed numero nondum rediere frequenti (11).
Nec quoque, prædo avium nocturnus, bubo reviſus,

Digitized by Google

Et periere homines, funeſto carmine nullo (12)
Præmoniti, factumque licet mirabile vulgi
Tarda fides ſequitur, ſurdis ceciniſſe minacem
Dum credunt multi, multorum fata ſequentur,
Nulla diem extremum quibus affore noctua dicet.

Scilicet & numerum non reddidit altera multa (13),
Multaque in hoc tempus cœlo diſparuit ales.
Sed ſimul ac ſturnum numero tam diſpare vidi,
Jam tum de merulis, turdisque avis illa ſiniſtrum
Præſtitit augurium, neque conjectura fefellit.
Noſter enim ut periit, vix tranſiit advena turdus,
Nec merula autumno torquata, nec altera *viſa* eſt
Vere novo, nec vere quidem revocata ſecundo.
Tanta igitur, nivibus veniens & frigore clades,
Cur nondum gelidis ſcriptorem adverterat annis (14)?
Ante quaterdenos & jam prope quinque Decembres,
Quæque prior nonum ſæcli infamaverat annum,
Sæva recens ut hiems, clade accuſatur eadem.
Priſca recente tamen levior fuit utraque clades,
Turdorum ut docuit grandævus & annuus auceps.

De

Digitized by Google

De merula noſtras non crebreſcente per oras
Judicium nequit extincta ſuper alite ſumi.
Ter centum, credas, noſtrum æſtivaſſe per agrum(15),
Cum pare namque ſua pleriſque erat obvia ſilvis.
Deque illo numero cum nulla ſuperfuit ales,
Frigore per ſimiles periit pars maxima terras.
Sed noſtris ſimiles ecquæ videantur? ut altis
Plurima terra tumet ſcopuliſque petentibus aſtra;
Collibus & tumulis bona pars telluris iniqua eſt(16).
Eſt in utriſque locis contra grave frigus aſylum.
Per planas nihil eſt avibus terraſque paluſtres
Præſidii: ventis vigiles feriuntur, & acri
Frigore victus abeſt. Deſunt loca ſicca latebris;
Suntque ubi ſicca ſatis, non inveniuntur aperta,
Frigore compulſis ſubeunda ad proxima quæque.
Quidquid id eſt, noſtris merularum vere reverſo
Nulla ſuperſtes erat, Batavis fuit unica ſilvis(17),
Forte cavis per litus & altis ſoſpes arenis.
Nec metuo, Batavûm cultos ſervata per hortos,
Noſtra reformidet ne magna & inhoſpita teſqua:

Plus

Digitized by Google

Plus ubi pacis avi nec parcior eſca legatur.
Servat & Amiſeus, quas reddat, & ipſe Viſurgis.
Foſſa referta luto, fimus & villatica ſordes,
Ducere quærentem nidis loca commoda fertur.
Vermivoram ver omne videt, nidisque ſibique
Venantem muſcas, ſcarabæos atque locuſtas.
Gaudet & erucis: quibus ut pomaria purgat;
De ceraſis partem ſibi ſumit & omnibus uvis.
Nec tibi diſpliceat prædatrix, ore rependens
Dulciſono, quodcunque rapit: volucrisque favorem
Pone volans hominem, ſpectandaque ſæpe, meretur;
Ante oculosque tuos nidum quæ *conſtruit, hirtis*
Sepibus impoſitum, per & infima brachia fagi.
Gaudet & hunc laricis, piceæque imponere ramis,
Præcipue ſi quas nemus altum claudit, & udum
Terra propinqua lutum dederit. Facit adſita tantum
Foſſula, truncatæ ſalici ſua ponat ut ova,
Sola ſalix quamvis prato aſpiciatur ab omni (18),
Sed ſolet hoc Batavis in tractibus una, ciborum
Copia ſiqua pigrâm nemoroſis abſtulit hortis.

Per

Per noſtras volucris multum ſilvatica terras,
Aut ſilvam nidis legit aut conjungere gaudet.
Eſt, ubi fiſſuris ſcopuli, ſilvamque ferentis,
Eſt, ubi ſturnus uti, truncis dedit ova cavatis,
Multa ſolet, quæ ſturnus amat: Vidi ipſe bovino
Impoſitam tergo, muſcam aut inſecta ſequentem (19).
Sed ſturno differt, nidum fabricata volucris.
Nidus ubique lutum teneris radicibus addit:
Oblongum quod opus, matris formatus ad artus
Sex habet ova ferè. Vix inchoat altera nidos
Ocius, arbuſtis credens infrondibus ova,
Sæpe reverſuris ſpem deceptura pruinis.
Non prior eſt partus tamen omnibus irritus annis,
Ut docti ſcripſere viri: neque credere fas eſt;
Naturam ſtimulare ad ſemper inania matrem
Tædia. Et obloquitur certa experientia magnis (20)
Teſtibus: ad caveas primum edita quæritur ales,
Ut valida & docilis, canturaque fortius, utque
Menſibus una novem, nonum cantura per annum:
Talis & hic primis Maji fuit empta diebus.

Mul-

Multa operâ nidus, ramis infrondibus auctus,
Sæpius a pueris, quam frigore perditur acri.
Frigora dura tamen, terras claudentia, matrem
Vermivoram potuere ſuis ſeducere ab ovis.
Credo, Lycaonium ſic poſſe nocere per orbem,
Haud alio perſæpe loco. Limacibus ales
Paſcitur & muſcis, humus & ſilveſtris abundat
Vermibus & tineis non deficientibus, & quæ
Omnia mas confert matri ſuper ova cubanti,
Sæpius ipſe cubans. Noſtris avis unica ſilvis
Si qua parit, ſilvæ dominus gratatur, avemque
Sedulus obſervat, nidumque & tempora *partus.*
Cumque ferè pullis, nemus oblectare creatis,
Parcitur, & ſilvâ nidus datur alter eâdem,
Nec nimium diſtante loco: quem credere poſſis
Forte aliis terris aliam poſuiſſe parentem,
Non noſtris: ubi quæque avis eſt notiſſima ſilvæ:
Silvaque conjugibus geminatis inclyta nulla eſt.
Partum igitur, conjux ſatis obſervata ſecundum
Quem dederat, volucrem lux longior ultima vidit (21).

Par

Partus & hunc ſequitur: cujus male firma propago
Naſcitur ærumnis, hiemem viſura propinquam.
Nec res certa tamen, quod naſcitur illa quotannis.
Viderat hunc partum, merulam omni æſtate ſecutus,
Prima dari mediis Quintilibus ova, foveri
Per bis octo dies, volucresque ſub ultima pullos
Tempora Sextilis. Non eſt dubitabile, partus
Tertius hic quod erat: ſed tempora noſtra videntes
Inſolitum credunt. Dabat hunc calidiſſimus annus,
Nec minus æſtiferum Calabro fervore ſecutus (22):
Multiparæ volucris qui feſtinarit ut ova,
Præſtiterit partus merulis auſtralibus æquos.
Nam qui avium partus numerat Zinannus & ova,
Ter parere Hadriacas merulam teſtatur ad oras.
Omne per hoc litus vernis aquilonibus udum,
Certa dies partus non inchoat: utque videmus
Certa dies finit. Docet hoc philomela ſilendo (23)
Et docet hoc cuculus, non tempora vocis apertæ,
Tempora ſed clauſæ certiſſima ſemper habentes.
Quæque greges faciunt, & junctæ tempus amoris

Fi-

Digitized by Google

Finitum teſtantur aves, teſtantur amoris
Tempora prima parum. Gaviis, quibus ova foveri
Non ſinis, & generis rapitur ſpes tota, gregatim
Certa dat ire dies, ſed quam certiſſima partus (24)
Prima dies minus eſt? populo quod teſte probarim.
  Inque greges coeunt merulæ, licet agmine parvo.
Quàque volant junctæ, genus anni curſibus aptum
Significant, curasque pias ceſſare parentum.
Prima dies Septembris aves, modo ſenſerit eurum (25),
In patriæ dumos ſilvis majoribus excit.
Sed numero exiguo, junctoque excedere nido,
Et primæ, ſilvisque ſolent properare *remotis*,
Serius aſpectæ. *Turbam comitando parentes*
Se juvenes monſtrant. Seniores conjuge jungi
Indigenæ, profugæque ſolent, & conjuge ſolo (26).
Nec puto ſe multæ jungunt, niſi ſæpe reviſus
Milvus, & inſolitus denſaverit agmina terror,
Agmina Chaucorum ſilvis, noſtrisque November
Quæ ſemel oſtendit, mirantibus agmina ſilvis.
Illaque, vicenum mihi ſæpe relata per annum (27),

Mit-

Digitized by Google

Mittere tum bellis ardens Germania viſa eſt.
Ardebat, noſtræque locis propioribus oræ,
Ardebatque locis, quibus inſtet miles, & unde,
Quæ veniunt, noſtrum merulæ mittantur in orbem.
Inſolitas igitur, numeroque, & tempore ſeri
Adventus, numeroque pares prope quinque diebus
Continuis, haud noto alias terrore fugatas
Qui putat, aſſenſum me judice ſperet ab æquis.
Tempore quodque illo rudis omnis opinio vidit,
Bellorum ſtrepitu baliſtarumque fragore
Docta docet fieri, ſed quæ non agnita doctis (28)
Pagina Longolii. Numerusque immenſus euntum
Perſuaſit, cunctas nulla veniſſe relicta
Per patriæ ſilvas: patriamque fuiſſe peramplam.
Tamque die ſero profugæ, dubitaſſe videntur,
Speraviſſe moram: belloque augente fragores
Tandem exſternatæ, vel iniquo tempore curſum
Cœpiſſe, & noſtro ſic agmina viſa Novembri:
Qui prius haud merulam niſi ſolo conjuge junctam
Viderat. Et tanto ſervavit ab agmine plures,

Digitized by Google

Frigore poſt viſas leni & graviore latentes, (29)
Deque illis, numero tum quantocumque relictis,
Percrebuiſſe genus, tugurique nemuſcula pullos
Fama dediſſe refert memor admirabilis anni.
 Et quà nidificat, non advena vere revertens,
Sed cœlum latebrasve hiemis jam paſſus, & ales
Nidificat, ſilvis haud uno aſſuetus ab anno.
Idque mihi aſſenſu multorum, & conſtat ab illis,
Qui partus docuere, & eadem ſæpe triennes
Viderunt ſilva notos per ſigna parentes. (30)
 Vere avis auſtrali non redditur orbe: nec annus,
Qui tot aves circa Martinia feſta videbat,
Vere gregem vidit per litora noſtra reverti.
 Viſa hiemis per tempus avis ſe detinet horto,
Perque nemus; qua parte nemus deſpectat in agrum.
Utque pererrat humum cum conjuge, plurima baccis
Paſcitur, & ſorbis, quasque oxyacantha reſervat (31).
Paſcitur & ductis per ruſtica tecta racemis,
Si qua fami neglecta, immitis & uva, relicta eſt.
Nec ſemel hinc urbis per frigora venit in hortos;
Eſt

Eſtque mihi canente gelu ſatis hiſpida Jani
Viſa per urbanam cum conjuge ludere vitem.
Non minus intenſo ſe frigore condit, humumque
Et denſos frutices, ſubit aut cava robora ſilvis,
Fertur & exciſo conſpecta lateſſcere trunco (32),
Pingui animam ſomno vel conjugis alta vapore.
Et cur de merulis declinem credere, ſturni (tum,
Quod ſopor oſtendit? merulæ prope ſanguine junc-
Congeneremque putas, ſturnusque lateſcere noſtra
Viſus in urbe mihi eſt. Cecidit de culmine tecti
Lignea compages, & concava, ſæpe caminis
Structa ſuper. vento moles dejecta Novembris
Horreolo invecta eſt: quod aprica in ſede, focisque
Illatis tepuit, cum Februus ipſe teperet.
Quintaque lux menſis ſic molem accendit, ut omnis
Clauſus in hac ſturnus (tabulati concava ſturnus
Plurimus implerat) regelatus ſole focisque,
Seſe agere inciperet, tabulataque plangeret alis.
Servus in horreolo mandata faceſcere differt,
Et nova perculſus vocat ad miracula teſtes,

Nec, quot heri laribus, ſed tot quot habere macello
Finitimo potuit. Numerus ſecluditur ingens,
Inque vicem ſpectans plebs tendit ad æthera palmas!
Nam ſonus alarum, crepitu miſtusque canore,
Res erat efficiens vel in omni mente ſtuporem.
Inconſpectum animans dum quisque exſpectat, & in-
Verſatur moles, parvum inviſumque foramen (gens
Apparet, cui quisque oculos adjungit, &, ecce!
Furvum animal, ſturnus ſpeculantia fertur in ora.
Moxque ea perculſos circumſonat undique turba
Ut, quæ avis exierat, vix cognita forte fuiſſet;
Pars niſi vix ſpirans, adapertis viſa cavernis,
Monſtraſſet ſturnos. Sed & hæc, quia rumpere molem
Utilitas vetuit, ſolis recreata calore,
Solis & ejusdem, ſibi conſuluiſſe per auras
Dicitur, inque meis cantans ſediſſe feneſtris (33).
Suecia fert ſturnos, & plus quam cætera tellus
Suecia fert merulas: quas, terra niſi abderet illa,
Non habitura foret. Nec enim foret algida cœlo
Incolumis, neque ſperet avis per nata repente

Fri-

Digitized by Google

Frigora diſceſſum, tantum claudentia terræ,
Nulla brevi curſu quantum ſuperaret, alenda (34)
Verminibus & baccis. Baccasque ut præſtet eunti
Terra aliqua in promptu, terra altera ſæpe negaret.
Adde, greges magni nuſquam quod inania tranent,
Quos mare curſuros, & plurima terra videret,
Bisque iter ut fieret, bis ituros omnibus annis.
Bis tamen inviſis cœlo quibus ire daretur,
Finito reduces ſpectaret Suecia Majo,
Unumque ad partum feſſas vix tempus habentes,
Quos videt in ſilvis plusquam altera terra frequentes,
Proptereaque videt, latebris quia ſervat opertos.
Et niſi ſic ſervet, volucrum ditiſſima tellus
Haud ſpectaret avem. Cœlum non poſſe teneri
Menſibus hibernis terram claudentibus omnem;
Jam prius admonui. Latione rediret amœno?
Aut Ligerim fugeret Gothicis fruitura pruinis?
Tempora deinde via nidorum prima perirent (35),
Quæ nullis avibus, durum propterque laborem
Haud pereant merulis ver præveniendibus ovo.

Et ſi avidæ partûs, feſtinatoque celebres,
Longum iter & durum, quam partus gaudia, mallent,
Diſſuaderet iter grave corpus, amansque ciborum,
Et brevis immenſis non apta volatibus ala.
Tardivolis igitur liceat loca nota tenere,
Utque ſub eduro Jove Cimmerioque ſuperſint,
Somnus Hyperboreum ſemeſtris ſoſpitet annum.
  Nulla avibus melior, quam terra Lycaonis urſæ,
Vera parens, natas quia, quas tulit, optima ſervat.
Semper habet nimias, & quas ſub Pleiadis ortum
Quærere cogit opes, numero creſcente negandas.
Sed fuga nullarum, quam quatenus illa *neceſſe eſt*,
Porrigitur. Junctisque fere regionibus hæret
Pars hiemis latitura die, & quæ maxima pars eſt.
Quaque venit fugiens, grex incola congener, auctum
Seu metuit numerum, ſeu victum defore ſentit,
Magna parte, aliis venientibus, ipſe fugatur.
Adventuque ſuo facit, alter ut altera viſus
Agmina grex abigat. fluctusque propellere fluctus
Ut ſolet Arctoos, & noſtra ad litora vergit

Non

Non mare Mænalium, ſed quod mare propulit illud:
Sic volucris populi non ceſſans curſus ad auſtrum,
Albis, & Amiſei, merulasque Viſurgis alumnas,
Protruſas Gothicis, & Herulis, deinde Suevis,
Ad nemora Unſingis fugat, ulteriusque, quotannis (36).
Senſim igitur Gothicas, ſed non fert unica Pleias,
Utque juvat Gothicas, plures veniſſe per annos,
Quas varius ſubito mutatus perderet aër,
Brumaque conſueto caritura repente ſopore (37);
Sic ſemel adductis orbis tamen officit olim
Longè alius noto. Nam quanto blandior orbis
Natura, tanto venientibus, indeque natis
Noxior eſſe ſolet. præter mala maxima luxus
Humani, minus his avibus nocitura ſub Arcto,
Multa fides cœlo nocet, & data dulcibus oris.
Subſequitur ſpem præter hiems, nivibusque geluque
Sævior Arctoa, latebrasque oblita propago
Sternitur, æſtivo volucres ut ab æthere muſcæ,
Cum ſubita venit imber aqua. Natura peremptas
Reddit aves, gelidisque jugis, gelidamque per Arctum.

Quodque jugis citius redduntur, tardius Arcto,
Nos merulæ docuere, recens per frigus ademptæ,
Vidimus ut neutras, anno poſt frigora primo,
Altera reſtituit Pleias, numeroque frequenti,
Torquatas. Citiusne nigris reparata videtur,
Quæ partu genus auget avis neque pluribus ovis?
Ovaque, congeneres teſtans, color inficit unus.
Credere prætulerim, quod tutius una lateſcat,
Altera tuta minus, noſtras vel & auſa per oras
Ferre hiemes. Sedet illa jugis ita ſemper in altis,
Ut pro torquata montanam Alemannia dicat (38),
At quæ monticolæ, prius & nocitura volucres
Frigora formidant, *melius citiusque lateſcunt*,
Indeque præpingues adeo noſtratibus adſunt;
Ut latitura brevi quæcunque animantia cernis.
Sed primo poſt frigus avem nec Friſonis anno,
Terraque Chaucorum, nec proxima cætera vidit.
Montibus exiguis ſe effuderit unde, Cheruſcus
Quos videt, & propior ſilvoſaque ripa Viſurgis.
In quibus (aut queis cunque voles) male tecta latebris

Cor-

Corpora credibile eſt, a frigore prenſa fuiſſe,
Reſtituiſſe tamen juga proxima vere volucrem:
Quæ juga ſunt, ſilvas Melibocus ad æthera tollens
Hercinias, juga plena avibus, merulisque referta
Torquatis, ut nulla ferat Germania plures.
 Nigra pari numero Melibocum fertur habere;
Sed nigra vere novo non ſpargitur, eſtque lateſcens,
Sed minus ac torquata ſoror: perpeſſaque ſomnum
Longius hibernum ſe ſpargit latius ales,
Sæpe recens pulſo velut effera viſa ſopore,
Sic, ubi limoſo ſubit æquora flumine Moſa,
Udaque divitibus paſcuntur prata colonis,
Ales amans Batavûm, formoſa ciconia, pennis
Capta luto tinctis ob pendula calcibus æra,
Quæ matrem docuere, Viſurgis ad oſtia dextra
Bis & continuis peperiſſe prioribus annis.
Sic pede ſigna ferens, ad Scaldim condita Procne,
Venit ad extremos, quos jungit Iberia, Gallos.
 Tam procul extendit merularum nulla volatum
Vere vel autumno; quem certe extendere major

Et gravior nequit, & plauſum facientibus alis
Tardior, inque greges ideo coitura minores.
Et tamen antiquis torquata incognita ſcriptis,
Quamque, recens author duo ſæcla Belonius ante,
Saltubus anguſtis Moriennæ clauſerat (39), omnem
Permeat Europam, celeberrima gentibus ales.
Finibus & noſtris, quondam procul abſita, ſenſim
Facta fuit propior, tricenos facta per annos.
Nam, quæ præterito fuit hic incognita ſæclo,
Non modo adhuc vivæ primum eſt oſtenſa ſenectæ,
Sed quoque rara prius, neque, quo nunc, tempore venit.
Nunc, ut multa venit, numeroque ut vincere nigras
Sæpe ſolet merulas, ſic, advena ſerior olim,
Jam præit & turdos, veniens Septembris ad idus:
Nec minus & ſeris veniens Octobribus horis.
Arguit ergo prior vicinos advena nidos;
Serior amotos. Fore tempus & inde putemus,
Ut pariat noſtris jam proximus accola ſilvis.
Nam, quod nigra facit, volucris factura videtur,
Moribus & victu ſimilis; placidaque ſorore

Vel

Digitized by Google

Vel minus ipſa hominem fugiens: hominique propinqua
Quæ ſalit in ſilvis, villæque ſuilia propter (40)
Sæpe venit, gaudensque cibis, quas ſordibus haurit,
Vix, tribus abſtantem te paſſibus, horret. Ut inde
Solivaga, & ſilvæ deſertæ filia noſci,
Quæ pejus nos eſſe feris genus unica neſcit,
Sic nidis lectura locum vitæque, videtur,
Non loca formidans domibus populoque referta.
  Grata mihi nidis, gratiſſima voce veniret,
Congeneris nigræ ſimilem quam fertur habere (41)
Menſibus æſtivis. teſtique & credere poſſis,
Advena voce pari ſilvis pavefacta cachinnat.
Sunt neque diſſimiles nidi, nec & ova colore.
Nidos propter humum tamen hæc, & ſepibus imis
Semper habet: ſic nigra locat quos rarior ales.
Cum venit ad noſtras, venit aut cum conjuge, terras,
Aut cum anni ſobole & nido fortaſſe ſupremo.
Sex & aves ſeptem ſociæ plerumque videntur.
Sanguineque inter ſe junctas, & adeſſe parentem,
Ut videas, oſtenta docent non una: velut cum

Par-

Parva per autumnos ſorbo ſuper arbore turba,
Sæpe videnda, ſalit, ſalit, & cupidiſſima baccis
Veſcitur. una ſtrepens, ramos ſaliensque per omnes,
Una nihil carpit, ſaturamque impaſta juventam
Inſequitur, vermes ſulcata per arva petentem.
Cui non inde parens turbæ videatur adeſſe,
Inde videndus erit. Quoties mihi cunque pependit
Præda recens laqueis, toties non abſita prædæ
Turba, vel una comes ramo propiore videtur.
Sæpe duas miſeranda comes manet illa per horas,
Quodque mihi multis durato cædibus, uda
Lumina fecit, avis viſa eſt, & viſa propinquo,
Pendentem ſtans poné diu, roſtroque morantem
Exſtimulans ſociam, caput & frigentia pungens
Corpora, crudeli mox immittenda culinæ! (quam
Non tamen hæc immiſſa avis eſt. Stat corpore, tam-
Viva, ſed exſucto: decimumque aſpecta per annum,
Admonet, ut ſociis parcam, laqueiſque prehenſas
Ut ſolvam vivas, & in æthera libera mittam.
Sed cibus egregius, turdos bonitate ſaporis

Ilia-

Iliacos vincens: nigras vincitque ſorores,
Ut prope congeneres, nec junctas ſanguine, credas.
Atque ea diſparitas ſuccorum advertere poſſet
Partitorem avium, diſtinguens forte volucres
Juſtius, ac quæ nunc numeratur penna per alas,
Roſtrorumque pilus, pilus & qui genua velat.
Sed, Gothici minus admirans inventa magiſtri, (42)
Quas veteris famæ conſenſus, plurima morum,
Et vocis, paritasque cibi conjungit, amicas
Et ſocias facio, non tantum gente propinquas.
Nam nemus haud raro, jungitque volatus euntes,
Si quas cura cibi, vel nox, in proxima transfert.
Ut torquata igitur, merulis & tertia nigris
Accenſetur avis, cui candet pluma per alas,
Perque aliquot caudæ pennas. Vetus illa per ævum,
Notaque Ariſtoteli fuit & deſcripta: ſed unam
Quæ tunc Arcadiam, Cyllenesque ardua ſaxis,
Arduaque & ſilvis, juga nubibus æqua tenebat.
Græcia nunc omnis, jamque Appenninus, & Alpes,
Galliaque & volucris nidos Germania vidit;

Sed

Digitized by Google

Sed tantum, qua parte jugis tumet utraque tellus.
Adque oras patriæ veniſſe, ſed unica, viſa eſt;
Verſibu utque meis avis oſtentanda veniret,
Per nemus exiguum, quà ſilvis Fivela parcit (43),
Decidit in laqueos vatem auxiliantis amici.
Deſcriptæ ſimilis transmiſſa, & vertice cano
Viſa fuit: merulasque ac turdos venerat inter,
Quos ſuus adventus ſilvis docet ire remotis.
Sed non propterea, nec quicquam propter, ad unam
Tam varias volucres redigas, nigramque parentem (44).
Sic faciens, turdos omnes genus eſſe minoris,
Anſeribusque anates atavum tribuiſſe, *putaris*.
Paſſer ut arboreus, *dictusque domeſticus*, utque
Præterea innumeræ ſimiles aliquatenus, omnes
Sunt a ſe merulæ diverſæ, aliæque volucres.
Nec corpus, roſtrumque, ac diverſiſſima pluma,
Naturæ eſt ludentis opus. Color, aſpice, pullis
Torquatis, quos cauda minor diſtinguit, & ipſis
Anniculis nigrior. Plumarumque ultima margo,
Et pectus magis atque magis ſenioribus albent.

Con-

Contra aliis merulis creſcenti creſcit ab ævo
Nigrities. Primum ruffeſcit pluma per annum,
Altera nigra ſatis, corvum prope tertia vincit;
Sed vincit corvum, quæcunque ſequentibus annis
Induitur: ſplendet, variaque ætate creatas
Si dederint laquei, varias agnoſcitur inter.
Perque vitrum ſpectans oculorum viribus auctis,
Diſſimiles nigrore ſuo miraberis alas.
Tantaque diſparitas, licet unicoloribus, ævum
Deſignans varium, deſignet longius illis,
Quas & præterea longævas ſigna fatentur,
Pectoris ut nullo fibra manducabilis ore (45).

Non tamen his avibus data grandis creditur ætas,
Ætatem modo rite hominum teſtentur alumnæ.
Octo annos ad ſummum author dedit Inſuber illis
Olina, ſervatarum avium non optimus altor.
Ex mihi pernotis multas necat ante ſenectam,
Quam dare cura poteſt, naturaque doctior illâ:
Inter & has merula eſt: quæ nido implumis adempta,
Vivit in his terris decimum quandoque per annum,

Et

Digitized by Google

Et decimum eſt egreſſa ſemel, ſed carcere mundo,
Nec juſtis fraudata cibis, nec & amne: patentem (46)
Qui ſubeat caveam, præſtetque lavacra per æſtus,
Et quoties collo ſordem inſudavit & alis.
  Tempore Roma tuo, perque omnia barbara ſæcla,
Incinuit caveis, laudataque voce canora eſt (46).
Albertus numeros imitantem audiverat omnes,
Muſica quos faciat. ſimilique avis altera voce,
Judice Francisco Gallorum rege, vel ipſam
Luſciniam vicit. Cantatrix optima certe,
Carminibusque meis, foret ut ſua gratia vati,
Notior eſſe poteſt, non eſt imitabilis ales.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

(1) *Verſu 7.* Merulas dixi mea memoria iu agro Groningano nidificare cœpiſſe: non tam propria, oculis licet docta, quam aucupum & omnium amatorum avium conſulta experientia: anterius vero eas nidificaſſe in agro Drentino, non aſſignata agri parte. Cujus agri pars Groningano appoſita eſt & circumjecta, pars ad decem & duodecim leucas ſemota. Univerſus vero ager altior & noſtrate ſilveſtrior. Tempus fuit, quo maxima pars agri Groningani ſub aquis fuit, ut eam, credo, Romanos plurima vidiſſe ſaltem parte proavoſque noſtros tertiam agri noſtratis partem paluſtrem & inhabitatam vidiſſe, inter omnes conſtat; uti eam partem nunc ſegetes vides & ſilvas ferre. Drentia nunquam ſub aquis forte, Romanorum certe tempore non fuit: quod tumuli & lapidea eorum ſepulcra innumera, nunc, velut ipſorum tempore extantia, indicant. Non tamen Drentiam ab omni ævo Merulas habuiſſe, multo minus dixi Quintilium Varum Merulas cœnaſſe aut in Drentia aut in ea Veſtphaliæ parte, quæ provinciæ noſtræ appoſita eſt. Amiſii terram maxime ſilveſtrem indicavi: qualis eſt ad fluvii fontes. Silveſtris eſt Drentia, & multis læta ſilvis Veſphalia, etiam quà proxima. Sed majoribus, & ſilvis confertam prope perpetuis ſuperiorem Veſphaliam eſſe, niſi aſpectu & inhabitatione prope annua, per topographos etiam intellexiſſem. Indeque, cum ad aves attendere cœpi, eas ſilvas exiſtimavi Merulas forte ab omni ævo habuiſſe, & Quintilii Vari tempore. Ejus varia caſtra, ejus ſtativa, & campum peragravi, in quo cæſus eſt cum exercitu. Certus ſum tantam Quintilii notitiam non habere, tam male verſus meos qui intellexerant, ut ſcribere auſſi ſint, me Quintilio Varo Merulas iu cœnam appoſuiſſe aut in Drentia aut in proxima agris noſtris Veſphalia. Utque magis appareat, nullam iis ridendi cauſam fuiſſe,

Digitized by Google

doceam antiquarios eos, eſſe poſſe, Quintilium ducem & proximam Veſtphaliam & agrum Drentinum ut perluſtrarit. Cohortes ſaltem aliquas & hujus agri præſidio ab ipſo miſſas fuiſſe, tam vero ſimile eſt, quam certum ducant, vindicem cædis ejus veniſſe, agrumque non modo Drentinum, ſed & Groninganum cum maxima exercitus parte pervaſiſſe. Id ſicut Menſo Altingius, & ego novis argumentis in vita Albinovani epigrammatibus meis præfixa oſtendi. Oſtendam & Marci Antonii & Marci Agrippæ numiſmata, in ſepulcris Drentinis inventa, quæ certe in manibus militum Quintilii poſſunt fuiſſe.

(2) *Verſu* 10. Scolopax Nemeſiani verſibus celebris, advena apud fœderatos Belgas avis, non aliunde quam ex Scotia adeſſe, conterraneis meis pro certo habetur. Batavis, credo, id perſuaſum fuiſſe a mercatoribus Scotis, Amſtelam & Rottam noſtrum bibentibus: noſtratibus vero ab Anglis & Scotis, Barbeiracum ſecutis, jus gentium Groningæ me puero docentem. Eorum unus Scotorum, nobili origine & multa inſtructus rerum cognitione, ducta uxore cum apud noſtrates deſediſſet, ſcolopaces, inter quas aliqua eſt differentia, non modo omnes *patriæ ſuæ*, ſed & aliquas his, aliquas *illis Scotiæ terræ tractibus* aſſignabat. Cumque eveniſſet, ſcolopaces in agro ſoceri ipſius nidificare viſas eſſe, idque ipſi & me præſente objiceretur, ſcolopaces non omnes Scoticas eſſe, omnes vero jurabat advenas Caledonias eſſe. Parientes apud ſocerum ſuum inventas, deſediſſe, ubi conterraneum invenerant, & conterraneum avium amatorem. Viſos a ſe parentes, & bene perſpectos genus iſtud apparuiſſe, quod ſuæ familiæ juga plus quam alia frequentabat. Cum eſſet vir, nec ſerio nec joco mendax, & ipſe, credo, quod perſuadere volebat, crederet; auditores, vidi, quod perſuaſiſſimos dimitteret interdum. Nidificant apud noſtrates, ut Nemeſiano teſte, apud Romanos.

(3) *Ver-*

(3) *Verſu* 14. Qui de avibus non niſi ad menſam cogitant, conſiderata advenarum pinguedine, eas ſæpe non niſi ex propinquo adductas vident. Id idem aucupes & macellariorum viliſſimos ſenſiſſe, expertus ſum. Scolopaces utique deplumes in macello viderit Hotunus, & pinguiſſimo pectore & dorſo non conſiderato, eas ex Caledonia ad nos acceſſiſſe. Alius de Merularum & turdorum autumnali pinguedine prolixus eſt ſcriptor, ſalivam ut moveat lectoribus, & eos ex ultimo dicit ſeptentrione adveniſſe. Remittuntur deinde vere novo in Scotiam ſcolopaces, turdi & merulæ in ultimam Gothiam, & ut perveniant, quodam modo jubentur. Scio quidem, ſi omnes iis ex terris aufugiſſent, neceſſarium eſſe aliquarum reditum. Sed extenuato per hiemem corpore, quæ earum vires ad reditum ſufficiant, non ſcio. Itinerum præterea memoria aut peritia datur avibus, quæ hominibus, ſi omnes Dædali aut Icari eſſent, deficeret. Græci ſapientiſſimi ſcriptorum coturnicibus ortygometram attribuerunt, ne non in Africam ſine duce pervenirent. De duce ſcolopacibus turdis & merulis ut provideatur, conſulendum eſt ornithologis.

(4) *Verſu* 41. Burgundicas Merulas non peregrinari, abietum inter & picearum ſilvas, adque tepentis aquæ fontes hiemare teſtatur illuſtris ſcriptor Guenaldus. Torquatas nihilominus peregrinationibus admodum deditas arbitratur: circulum vero percurrere ipſi nequaquam cognitum. Circulum illum, ſi circulans peregrinatur, admodum brevem credat. Eſt enim congenere nigra pinguior & gravior corpore. & nigra montibus innata, non niſi in vicina & aprica, ſub hiemum diſcedit, uti jam viderat Ariſtoteles. Belgii ſuperioris merulas ſub hiemem præ nimia pinguedine volare non potuiſſe Gulielmus *Van den Boſche*, medicus Teneramundanus, teſtatur in libris, quos IV. de natura ſcripſit animalium. Cum ſcriptorem avium ignotum, aut necdum allegatum video, indicandum eſt opus ornithologis, editum Bruxellis *in quarto* anno ſæculi

ſuperioris trigeſimo nono typis Joannis Mommartii. Avis, & omne animal cognoſcendum non tam per multos, quam per diverſarum regionum ſcriptores.

(5) *Verſu* 46. Suenveldius, Joannes Colerus, & Jacobus Kleinius Arctoas Merulas peregrinari in longinquum putant, & Viadrum & Viſtulam, Sileſiæ & Poloniæ fluvios, merulis per lenem hiemem opertos vident. Colerus Regiomontanus, ſed qui Brandeburgii ad Spream videtur vixiſſe, merulas nigras incolas, & advenas vidit. torquatas tantum advenas, & transmarinas vocat, & per Balthicum mare ex *Suecia* advenire exiſtimabat. Autorem ſæpius a me laudatum, in non alia re magis deceptum video.

(6) *Verſu* 54. Georgius Agricola, qui in Miſniæ montibus frigidiſſimis ætatem peregit, merulas latentes, inque fiſſuris ſcopulorum per hiemem ſopitas vidit. Vixit Sæculo XVI ineunte, ſcriptor celebratus eruditis ob libros, quos de re metallica dedit immortales. Quibus additus cum ſit liber ejus de animantibus ſubterraneis, tantum virum vix apud ornithologos allegatum video, raros ſaltem aſſeclas habentem. Quod fecit igitur, ut laudem & fidem ejus tanto impenſius per verſiculos meos oſtenderim. Utque illuſtriſſimus Guenaldus videat, avium naturas regione terrarum mutari, in terra piceis & abietibus operta, fontibusque tepidis non deſtituta, merulas latentes oſtendi, quas in pari ſed auſtrali regione per omnem hiemem vidit cœlum tenere.

(7) *Verſu* 65. Quod de avibus & muſcis latentibus per frigus acrius occidendis, uti dubium propoſui in verſibus, anno octogeſimo quarto non amplius vidi dubitabile eſſe. Muſcæ enim, quas Galli *Couſins*, Latini cicindulas, credo, dixere, ſimul ac æſtas ſecuta fuerat, in noſtris agris paluſtribus perquam incommodæ, notabiliter perierant. Sed

aves

aves non minus notabiliter. Ipſumqne vulgus agreſte, quod nihil advertit, iſtud quod adverteret, ſubinde mirabar.

(8) *Verſu* 70. Præter aves, quas in verſibus per frigus imminutas, aut prorſus extinctas, enumeravi, notabiliter etiam motacillæ perierunt cæruleæ, & quæ ad villam meam complurimæ, & propemodum cicuratæ fuerant, forte quod parentes interdum carneis fruſtulis ineſcaveram. Per ver & æſtatem nullæ revidebantur. Avis illa apud noſtrates lateſcens, per lene hibernum frigus, cœlo interdum utitur. unde quod altis & tutis latebris non utatur, exiſtimem. Perierunt quoque notabiliter vireo & linaria. fringuillæ, quæ, uti in verſibus dixi, maximè etiam perierant, nec advenas greges per autumnos jam tres ſubſecutos habuere. quibus ut permixtæ cardueles veniunt, eadem & illis videtur a frigore clades accidiſſe. nondum a me ullæ reviſæ hactenus, & quod pauciſſimis aucupibus apparuerint, audio.

(9) *Verſu* 90. Coturnix, quæ mature & frigora ante prima latebras ſubit, nec anno octogeſimo quarto, nec quinto pariter fere rigido perierat, aut ſaltem imminuta videbatur. ſed hoc anno octogeſimo ſexto notabiliter imminuta eſt. Hiems ſatis lenis, mitiſſimum Februarium, ſed Martium menſem ad Idus usque rigentiſſimum dedit. Unde, quod Februarii tepore excitata, latebras complurima reliquerit, ſunt qui exiſtimant.

(10) *Verſu* 94. Ardeam nobilem fama, frequentem & perutilem in noſtris terris, vanis rerum arbitris incognitam, vicenis avibus, quas deſcripturus eram, adlegeram. Partaque cognitione, quæ haberi ex libris poteſt, amicos agricolas, ut obviam attentione ſequerentur, precatus, a propoſito per eosdem, qui ardeam meam juvarent, revocatus ſum. Interim peregrinacem non eſſe, ut in hoc verſu oſtendi, depre-

Digitized by Google

bendi. Noſtratium aliquis, ſilvæ ad villam poſitæ majoris dominus, ligneam ſtruem, diſſectam & uſtilem, quam in ſilva poſitam habebat, penultima hieme ultra ſpem longa, convehi in urbem juſſerat. Pars igitur ſtruis ſatis magnæ dum in plauſtra ponitur, inter ſtipitum ſectorum concava duæ videntur pectore ſe contingentes ardeæ, propemodum ut judicabatur, exanimes. Projiciuntur in terram. Diuque tanquam immobiles, reſtitutæ tamen in pedes viſæ ſunt, cum eas plauſtra & ſervi relinquerent. Venit tribus poſt ſeptimanis ad villam dominus, videtque, comitatus villico, quantum de ligno avectum fuerat. Stabant in ſtrue, quæ magna parte ſuperabat, duæ ſe contingentes ardeæ: quas dominus ad acceſſum ſuum non fugientes, & uno ſtantes in pede cum indicaſſet villico, audit easdem eſſe, quæ & à ſe & à conſervis inter ligna prope exanimes repertæ fuerant. Conſideratis avibus, nihil a propiore acceſſu & loquentium voce territis, recedit; & poſtera die non propter ſtruem, ſed propter aves, in ſilvam redit. Miratur reviſas, & uno ſtantes in pede tanquam immobiles. Tertia die id idem videt: urbemque repetens, villicum jubet, aliqua culinæ ejectamenta avibus ut proponeret. De quibus nihil comeſtum villicus poſt aliquot videns dies, piſciculos ipſis objecit, & hos intactos aut ſaltem vix imminutos, avesque viventes cum miraretur, quotidie ad eas & ſæpe bis de die acceſſerat; cum quindecim poſt dies, dominum remiſſo frigore revertentem vidit, quædam ut ferantur, jubentem. Sed ille animo pleno avium ſibi commiſſarum, nihil prius eſſe reſpondit, quam ut ad ardeas, vento viventes, revertantur. Feſtinant ad ſtruem, eminusque ſtantes mirati, dum ſtrui veniunt propiores, avolantes vident in arborem, ramoque, ut eodem ſederent, plauſis alis conantes. Nec de loco novo, dum veſperaſceret dies, ſe commovêre. Altera vero luce ſerenum diem promittente ad arborem reverſi, ad acceſſum ſuum viderunt avolantes in longinquum. Quinque illæ ſeptimanis caruerant cibo, aut de projecto vix quicquam, quod vires daret, abſumptum fuerat. Res

eſt

Digitized by Google

eſt certa, & ſi ante, quam vicenas aves meas deſcripſeram, intellecta eſſet, ab ardeæ deſcriptione non forte revocandus fuiſſem.

Invitaverat me maxime tamen avis ad ſui deſcriptionem, quod in nulla avi magis naturam admirarer. Habet in longiſſimis pedibus, ad aquam & paludes ſubeundas factis, ungues ſerratos, & quibus, ſenſu & forte præditis, ranas, & hirudines ex profundioribus aquis detrahens, roſtro, ut pſittacus, admovet. Anguillæque glabræ, ſeque detorquentes, roſtris ſerratis ne decidant, linguam a natura pariter ſerratam accepit. Depaſcitur multa ingrata oculis animantia, noxia, & paluſtres aquas bobus & ovibus venenantia. Viperas quoque depaſcitur, ut in Italia agens & ad Aricinum lacum ambulans, vidiſſe me recordor. Mures aquaticos, talpas & bufones quod depaſcatur, in agris meis & finitimis vidi. Avis præterea videtur ex prudentioribus, quod multa docet memoria, gravis inceſſus, crebra ejus circumſpectio, aſtus in ſuperando falcone admirabilis, & nidus loco ſuo ab hominis animalis injuria maximè noxii, defenſus. Videtur ex felicioribus ales contemplator, & qui ſe animo ſuo, ut homo philoſophus, oblectat in ſolitudine. Videtur denique ex longævioribus, quod non modo per nerveam corporis compagem, per inediam, quam ferat longiſſimam, ſed & per vires video, quibus ſe ſupra nubes ad altiſſimorum montium lacus transfert, crebroque nec ſemel de die transfert. Hæc omnia verſibus digna, & ad unum verſum, quem de ardea compoſui, referenda duxi.

(11) *Verſu* 79. Addidi hos verſus Merulæ meæ hieme præterita; Æſtate vero & autumno jam præterlapſo, anni ſcilicet octogeſimi ſexti, reviſi ſunt falcones alaudarum hoſtes. Majorum accipitrum nulli etiamnum reviſi ſunt.

(12) *Verſu* 99. Bubones exiguiſſimo numero hac tandem æſtate reviſi ſunt. De formidato agreſtibus bubonum ululatu, quod in verſibus

 dixi,

dixi, nequaquam pertinet ad veteres & municipes agri Groningani colonos, agri ſcilicet borealis, occidentalis & orientalis. Quà vero ad ortum hibernum, & ad auſtrum ſe extendit provincia, terra ante centum & quinquaginta annos ab illuvie & paludibus per rivos, foſſas & cataractas redempta, incolis, cum recrearetur, indiga, advenas Veſtphalos, Chaucos, Cheruſcos, Heſſos, Palatinos etiam & Helvetios accepit. Qui ſicut induſtrii admodum agricolæ fuere, patriæ ſuæ opiniones ſecum adduxere, tamque eas natis natorum bene infixas tradidere, ut certe bubonum genus omne in ea provinciæ parte formidandi ſemper augures videantur. Bubones tamen, in ea agri parte creberrimi quondam, non fecere, ut amœniſſima non ſit provinciæ illa pars, incolarum pleniſſima, & ſaluberrima, villiſque patriciorum maxime propterea infeſſa. Quibus, ſicut & mihi in ea etiam parte nato, nihil funeſti aut omnino unquam cecinere bubones.

(13) *Verſu* 104. Avium, vel ante oculos meos frigore extinctarum, genera ob numerum dici non poſſunt. Friguſque anni *octogeſimi quarti* an quinti occiderit plura genera, *non diſcernam. Bicolores cornices* ſicut iis annis innumeras, & frigore hujus anni, fero illo Martii menſis frigore, labentes ex cœlo vidi, labentemque unam ab urbana mea domo, ad camini ſpiracula quæ ſederat, admotam focis, cibiſque objectis ad edendum invitatam reſtaurare non potui. Anſeres & anates feri, aſſuetiſſimos frigori quos diceres, magno numero in glacie lacuum ſtantes manibus hominum prehenſi fuere. Urbem Groningam latiſſimæ cingunt foſſæ, altiſſimis vallis ad auſtrum ab aquilone defenſæ. Pomeridianis horis anſerum & anatum grex numeroſus in iis foſſis ſe poſuerat, raris hominum ob frigus locum frequentantibus: ſed inter quos & ego & amicus quidam meus (ambulantes ibi) fuimus. Sicut omnes, qui aderant, gregem admirabamur, aliqui ad aves acceſſere lapidibus magnis condenſatas impetituri. Quorum injectu avolabant quidem illæſæ.

Digitized by Google

ſæ. Sed ad auſtrum a foſſa ulmorum ordines ſtant altiſſimorum, centum paſſibus quidem a foſſa remoti. Eas arbores tamen ſupervolitare fugientium multæ non potuere. Quæque ramis illiſæ fuere, deciderunt, & manibus vulgi comprehenſæ ſunt. Id mihi anni octogeſimi quinti Februarius oſtendit. Unde, quanta exiguis avibus & delicatioribus, non latentibus, a frigore pernicies acciderit, colligere eſt. Nullumque exiguarum avium genus tam in agro noſtro etiamnum frequens dicitur vulgo, quam ante annum octogeſimum quartum apparuerat. Quod tamen ego, quantum ad autumnales advenas, verum maxime exiſtimarem, præcipuèque ad fringuillas, cardueles & pyrrhulas. Alcyones etiam & upupas nondum revidi; raras tamen & ante: ſed upupæ, quas in propinqua Veſtphalia frequentiſſimas vidi & ſupereſſe credo, quod abſint etiamnum, ſatis notabile.

(14) *Verſu* 113. Suenveldium, Colerum, Kleinium, Racinſcium & Linnæum, qui hoc & præterito ſæculo ſcriptores avium Arctoi fuere, nullam de avibus per frigus amiſſis aut imminutis mentionem feciſſe, admirarer maxime, niſi avium partem maximam in ſeptentrionalibus terris latentem crederem.

(15) *Verſu* 121. Sunt plures ſilvæ in provinciæ noſtræ agro, quam tercentum. Sed de ſilvis loquor majoribus, decem, quindecim, aut viginti jugerum. Nemora noſtra & exiguæ ſilvæ merulas nidificantes ſolenniter ſaltem, non viderunt.

(16) *Verſu* 127. Orbis terræ ſuperficiem montibus ſaxoſis exſurgere aut collibus iniquam eſſe, verſibus aliquot me docere ridiculum videbitur præter Groningatibus. In urbe enim fœderati Belgii poſt Amſtelodamum ex maximis, pauciſſimos, qui me legant, noſco, quibus hæc doctrina non aliquatenus neceſſaria eſt. Aliqui montes non tam altos,

Digitized by Google

aliqui ex luto omnes putant & arena conſtare, aliqui infrequentes, aliqui in Norvagia tantum ſcopuloſos eſſe. Homo doctus, & quod notabilius, phyſicam in Academia urbis noſtræ docens, inter eos videtur, qui Norvagiæ montes tantum ſcopuloſos exiſtimat. Ager Drentinus, & Groningæ ſuburbanus, auſtrum verſus altus & ſabuloſus, ſilices gignit, quas ille ſcripto publicato dignatus, non indigetes, ſed advenas & ex Norvagiæ montibus avulſas putat. Advenas? ſed quomodo ex Norvagia adductas? Sunt multitudine ſilices innumeræ, & majores, quam quæ navibus aut claſſibus maximis adductæ videantur. Effodiuntur enim, & terris extant, quacunque ſe extendit Drentia, ad quindecim ſe leucas latiſſimo dorſo extendens. Erantque ſilices in eo agro Romanorum tempore, architectonicis machinis qui alteras ſuper alteris, ſicut Oſſæ Pelion inpoſuerunt. Non igitur navibus adductæ. Quas ſi ante Romanorum adventum fabricarint majores noſtri, perexiguas fabricarunt: & quæ, ab iis factæ, ne ad iter quidem Norvagicum vacuæ habiles fuiſſent. Et tantas tamque innumeras ſilices ipſe vir doctus non exiſtimat navibus adduci potuiſſe. Sed quod exiſtimat *fieri potuiſſe*, *portentoſum*. Terræ motu ſcopulis *Norvagiæ ſcopulos avulſos exiſtimat*; & violentiſſima tempeſtate per profundum & immenſum mare ad noſtrum litus propulſos & provolutos fuiſſe. Silicesque ad litus noſtrum propulſas, eadem tempeſtate ex litore in altum & a mare remotum agrum eiectatas, & diſperſas fuiſſe; idque ſe non exiſtimare ſcribit, ſed tanquam advolantes vidiſſet, demonſtrat. Drentinis agricolis, quibus id de lapidibus cum doceri in Academia narratum eſt, horror dicitur ſubiiſſe animos. Nec eſt ſanè, ut hac nota ſententiam doctiſſimi viri impugnem, ſed ut verſiculos meos apud exterum lectorem a ridiculo defendam, dum terræ partem maximam docent ſcopuloſis montibus exſurgentem, & ſcopuloſis etiam collibus iniquam eſſe.

(17) *Verſu* 135. Vere anni octogeſimi quarti menſe Majo jam adulto (ut quotannis ſoleo) apud Batavos agenti dixit mihi Nozemannus, merulam a ſe reviſam eſſe, & deinde etiam ſcripſit, reviſas eſſe per æſtatem non nullas, pauciore tamen numero. Si per aliquot menſes in Batavis latent merulæ, ut non dubito. Tutiores habent latebras, quam in agris aut in ſilvis noſtris. Arenoſi enim litoris Batavi colles, qui *duni* celtica voce dicuntur, per cuniculos in tantum excavati ſunt, ut nusquam forte avibus aptiores aut tutiores ſint latebræ. Cuniculi enim foſſulas innumeras & multo plures, quam quas ingrediuntur, fecere: & ab omni ſcilicet ævo colles cuniculis frequentiſſimos fuiſſe veterum accolarum nomen docet, qui Caninefates dicti ſunt, *caninefraters*, id eſt cuniculorum comedones.

(18) *Verſu* 156. In ſtipite ſalicis truncatæ, ſed novas virgas agente, nidificantes merulas ſe vidiſſe ſcribit in avibus ſuis Batavis Nozemannus, ſicque eas in Batavis nidificare ſolere. Earum ſalicum nullas ſilvas, ſed ad foſſas, pratorum terminos, aut longo ordine, aut ad prati cujusvis introitum ſingulas tantum duas poni ſolere, ſatis credo conſtat. Unde nidus Nozemanni, conjuges oculis hominum exponens, certe ſingularis appareat. Notabilis etiam Gucnaldi nidus, in trunco arboris mali cavo deprehenſus, & notabilior forte, quod avis de nido eleganti, firmo, & oblongo laborans, opus non modo trunco cavo clauſerit, ſed & oblongum facere forte nequierit.

(19) *Verſu* 164. Ante annos tres vel quatuor, decimo aut undecimo Octobris die, ſereno admodum, comitatus ſervo ad vaccas meas eo: & ille, qui laqueos meos non ſemel reſtituerat, turdosque haud unum per annum culinæ deplumes dederat, ad vaccas oculos eminus intendens, ecce turdos, dicebat, vaccis noſtris inſidentes. Sturnos credebam, factus tamen propior, ſturnis majores, & avolantes in proximam ſe-

Digitized by Google

ſepem, merulas ex propinquo vidi, interque nigras ſeptem vel octo, torquatas duas.

(20) *Verſu* 174. Magni iſti teſtes, qui primum merulæ partum ſemper ob frigus irritum eſſe ſcribunt, Geſnerus ſunt, Aldrovandus, eorum exſcriptor Jonſtonus, Olina, Nozemannus noſter, & illuſtriſſimus denique Guenaldus. Præter quod imprudentiæ naturam accuſant, eorum aliqui merulam aſtutam dicunt & turdis prudentiorem! noſtrates, qui nidificantes merulas haud unum per annum in ſilvis ſuis ſecuti ſunt, nunquam ob frigus deſertum nidum, nunquam deſtitutos aut pereuntes pullos viderunt. Quique de avium nidis peculiariter agit Zinannus, primum earum partum irritum eſſe, non ſcribit.

(21) *Verſu* 198. Dies æſtatis ex longiſſimis ultima apud noſtrates vigeſima Junii ſeptima aut octava creditur. & volucres pullos eo tempore ab amico & vicino meo obſervatos, extremum merulæ partum plerisque annis eſſe exiſtimo. ſturni *merulis propinqui, quidquid pauci* contradixerint, eo etiam tempore *in greges coeunt. Nidus* a *vicino* meo obſervatus & a me inſpectus, piceæ ramo ad altitudinem corporis humani impoſitus fuit, piceæ vivario circumſitæ, ſed neglecto & admodum lutoſo. Merulæ nidum egregie deſcripſit Aldrovandus.

(22) *Verſu* 208. Annus ſeptuageſimus nonus, octogeſimus & octogeſimus primus, æſtates nobis dedere plusquam ſolito ardentes, ſic ut calores Calabri & Siculi thermometro indice minores dicantur fuiſſe. Annus octogeſimus primus tertium merulæ partum dedit.

(23) *Verſu* 215. Philomelis ſilentium imperare Divum Joannem, dicunt noſtrates, & cuculis Divum Jacobum. Idque quotannis verum eſſe video. Sed ſicut incertiſſimo die cuculus audiri incipit, philomela can-

Digitized by Google

cantus inchoat intra Aprilis decimum octavum, & vigeſimum quintum diem, ut a quindecim annis, quibus ad aves attendi, & a me & ab amicis meis obſervatum eſt.

(24) *Verſu* 222. Gaviæ, medio ævo Vanelli dictæ, a Gallico *Vaneau*, dicuntur noſtratibus primum ovum dare debere die Martii menſis duodecimo, eoque pacto in terras noſtras acceptæ fuiſſe a primis earum incolis. Sed ſicut incolæ ſecuti nullam fidem Gaviis præſtiterunt, nec illæ pactum primi partus diem obſervant. Hoc ipſo anno, ſæculi octogeſimo ſexto, non ante extremos Martii dies primum ovum in macello viſum fuit, pretioque noſtratibus inſolito, Batavis ſolenni, decem aſſium ova ſingula per unum & alterum diem vendita fuere. Proſtant illa in noſtræ urbis macellis ad idus Maii. Et tanta gaviæ generis facta internecione in greges coeunt ad primos Julii menſis dies. Nec decreſcere videtur noſtratibus numerus, non quod aves a remotis terris advenæ ſunt, ſed quod in paludibus Friſiæ propter illuviem inacceſſis, & quod in paludibus Veſtphaliæ finitimis tutæ nidificant. Quatuor & ad ſummum quinque dant ova. Primoque violato partu, decreſcunt parientibus ova, ſic ut raræ noſtratium Gaviæ pluſquam unum & alterum ovum excludant. occiduntur deinde ſub autumnum per ſclopetos a venatoribus, ſed ut infimæ tantum plebis cibus ſint. Videntur in cœlo per integras hiemes, ſi leniſſimæ ſunt ſed. quæ rariſſimæ cum ſint, per duos ut plurimum & tres menſes lateſcunt.

(25) *Verſu* 227. Quod de primo merularum in ſilvas minores adventu in verſibus dixi, longiſſima mihi & a teneris annis cœpta experientia innotuit. Quando in eas ſilvas pulli cum parentibus adveniunt, pulli omnes rufi, parentesque nigri videntur. Et eo diſſimili colore diſſimiles ætate in majoribus ſilvis per æſtatem videntur. Quod idcirco referendum, quia fæminas ſemper rufas eſſe, per male edoctos ornithologos

me-

Digitized by Google

memoriæ proditur. Fæminæ & mares altero vitæ anno nigreſcunt. Interque ſexum una eſt ex corpore tantillum majore differentia. Nidorum obſervatoribus id niſi apparuiſſet, ex merulis noſtratibus ad cantum in caveis a nido uſque eductis conſtitiſſet. Merulas mares hiemare in Lotharingia, feminas non apparere ſcribit Guenaldus. Pulli igitur peregrè victum quærere juſſi fuere. nulla eſt terra, ubi aves, ut Amazones fæminæ, viros relinquunt. Vinculum inter ſexum majus a natura præſtitum, quam ut ſemeſtri ſeparatione ullæ relinquantur. Eaque cognitione ut ſe præmuniant ornithologi, pluſquam neceſſarium eſt.

(26) *Verſu* 233. Seniores merulas, & quæ plures per annos per ſigna cognitæ eadem in ſilva nidifecarant, ſylvas ſuas hieme perraras relinquere obſervarunt amici mei. Silva tamen exciſione arborum aut aliquo tumultu & venatorum ſclopetis conterrita, profugiunt unde & minores in ſilvas profugæ, ſed conjuge ſolo junctæ, videntur, captæque laqueis, quod perquam interdum ſenes ſunt, manducatæ docent. Suntque etiam nigriores junioribus, plumasque per microſcopium inſpectas, hirtas, inflexas, & admodum diſpares oſtendunt.

(27) *Verſu* 238. Noſco aucupes, qui ad annos ſeptuaginta turdos & merulas cepere, quique aucupum filii ſunt. Iis neque ex memoria, neque traditione cognitum eſt, merularum maximos greges unquam veniſſe, quam admirabili illo anno. Sed, quod dolendum, annus indicari non poteſt, ut, utrum ſexageſimus ſecundus, an tertius fuerit, ſciatur. Alterutrum tamen has aves miſiſſe, certum eſt. Aucupes, & quoscunque, eorum advenarum gregum memores, interrogavi, an omnes, merulis quotannis advenire viſis, ſimiles fuiſſe meminiſſent. Notis minores aliquas interfuiſſe, dictum mihi eſt ab amico, ad res omnes attentiore: interfuiſſe etiam torquatas, ſed perexiguo numero: primos greges adveniſſe undecimo die Novembris, novis quotidie advenis exauctos, aut

Digitized by Google

aut propulſos, nec quintum diem ultra admirabiles numero fuiſſe. Idemque magnus numerus & Chaucos, & provinciæ noſtræ appoſitos Veſtphalos admiratione adfecit, ut a fidis teſtibus acceptum retuli in verſibus. Manſiſſe advenas complures, & merularum nidos vere ſecuto auctiores viſos fuiſſe pariter accepi, ſic ut inter villis paupertinis circumdatas arbores & ſepes reperti ſint. Habitant enim ruſtici homines, domibus ad ducentos, trecentos, ſæpe ad mille paſſus ſeparatis: quas, ut a ventis præmuniant, arboribus aliquot & ſepibus circumdant, ut & Cæſar ſcribit Menapios ſuo tempore feciſſe, populum a noſtratibus non ita remotum.

(28) *Verſu* 249. Phaſianos alites ſcribit Longolius olim in Germania frequentiores fuiſſe: pauci ſuo tempore quod apparerent, partim dicit luxuria, partim bombardarum nimio, & minime interdicto uſu effectum fuiſſe. Nam ſæpe a viris ſenio gravibus ſe inaudiviſſe ſubjungit; aves peregriniores venire ſolitas fuiſſe, quæ tum nunquam vel decennio toto ſemel ſe conſpiciendas præbebant. Enumerat poſtea, quas olim aves frequentiſſimas viderat Germania, ſuoque tempore ſtrepitu bombardarum aut plane ejectas, aut rariſſimas videbat. Notabile habeo, ruſticos homines de viſa illa merularum multitudine mecum locutos id idem ſenſiſſe, quod non niſi ante annum coemtus docuit Longolius. Fuit ille natalibus Ultrajectinus, ſeque ad docendum literas Latinas Coloniam Agrippinæ receperat paulo ante annum ſæculi decimi quinti quadrageſimum. Ubi & libellum de avibus ſcripſit, & paulo poſt mortuus eſt. Librum vero, mortuus anno vitæ trigeſimo ſexto, imperfectum cum reliquiſſet, edidit Gulielmus Turnerus anno ſæculi XLIV. primus eſt igitur Gisbertus Longolius, qui poſt Albertum Magnum de avibus a veterum ſcripſit tempore, vel hoc uno titulo memoria dignus: legendus præterea, ut aves ex locis, ubi deſcriptæ ſunt, cognoſcantur. Allegatum video a Geſnero, ab Aldrovando, & ab ornithologis poſt ſecutis. Sed

Digitized by Google

Sed librum ejus a nemine niſi a Geſnero lectum fuiſſe exiſtimo. Inde in verſibus obſervationem ejus notabilem non agnitam fuiſſe queror.

(29) *Verſu* 259. Nihil magis impediit cognitionem avium, quam quod alias pro aliis eſſe locis; a ſcriptoribus earum non obſervatum ſit. Deinde & pro neceſſitatibus alias eſſe conſuetudines, aut aliam potius earum naturam, obſerves neceſſe eſt. Frigora ſatis dura ferunt merulæ, ſed duriſſima non ferunt. Habent igitur in locis minus ſeptentrionalibus aliquid propitiæ iſtius naturæ, quæ eas in maximè ſeptentrionalibus conſervat. Quod niſi iis datum eſſet, innumeræ perirent in locis, quæ hiemes modo lenes, modo aſperiores ferunt. Viſæ ſunt per hiemes ſatis duras merulæ, ſed per duriſſimas a nullis hic viſæ ſunt. Ubi ergo ſint merulæ, ubi picæ, ubi fringuillæ, ubi paſſeres etiam, niſi in latebris? ubi aliæ, quæ per grave aliquot dierum, aliæ per longius & bimeſtre frigus cœlo abſunt? ſunt, ut dixi, hiemes, quæ merulam noſtro cœlo non abegere. Sed pleræque merulam, & complurimas aves cœlo abigunt, eoque tempore, quo eas peregre ire nec liceat, nec obſervatum ſit.

(30) *Verſu* 265. Aliqui qui per omnem annum in villis ſuis manent, merulas conjuges tam ex longo earum conſpectu pernovere, ut certos ſe dicant eſſe, eaſdem extremo hiemis & primo veris die reviſas eſſe. Alii parentibus in nido captis filum aureum tenuiſſimum calcibus annexuere, & eaſdem tertio poſt anno in ſilva ſua nidificantes reviderunt. Pullis complurimis cum pares annuli ad calces nexi fuere, alius ex calcibus merulam per biennium in ſua ſilva nidificantem vidit, cui ipſe filum non dederat.

(31) *Verſu* 275. Quamdiu merulæ & turdi vermibus, tineis, & infectis veſci poſſunt, baccis arborum & arbuſtorum pro cibo ſecundo

&

Digitized by Google

& tanquam pro bellariis utuntur. Cum vero hiems ſolum clauſit, ſuperſunt multa inſecta, quæ frigore gaudent, & quæ iis in cibum veniunt. Erucæ, quæ vernantia arborum folia depaſcuntur, in terram decidunt, terrisque progeniem commendant. Eaque progenies primo hiemis frigore in truncos arborum reverti obſervatur, tantaque truncos perrepit multitudine, ut trunci ſevo aut liquida pice impicti agmina inſectorum contineant viventium. In arbores enim eo redeunt tempore, ut gemmas ſubeant, inque iis per hiemem morentur. Recenti hoc cognitum obſervatione. Unde videre eſt, quanta avibus vermivoris, & quam incognita ſuperſint vermium pabula. Sorborum baccas, ſæpe in nudis pridem rámuſculis, ad multam hiemem vides. Oxyacantha vero, in noſtris terris complurima, baccas ſuas non niſi novis amittit induenda foliis. Eaque arbore non modo merulæ per hiemem gaudent, ſed in ea nidificantes viſæ ſunt: vide Nozemannum.

(32) *Verſu* 283. Merulas duas in Veſtphalicæ arboris trunco latentes & ſopitas à ſe repertas fuiſſe, dixit mihi homo ruſticus, ex advenis unus, omni vere agminatim ad nos laborandi cauſa properantibus. Arborem dicebat a ſe exciſam, & in illa magna exciſam ſilva fuiſſe, quæ, Meppena oppido haud procul, ad Amiſium poſita, tamque vetus eſt, quam ipſum forte oppidum Meppena.

(33) *Verſu* 314. Sturnos in ea lignea compage, in verſibus meis deſcripta, ſemiſomnes ipſe vidi, avolantes non vidi. Veneram enim, licet proximè habitans, non niſi poſtquam res rumorem fecerat. Sedéntes vero, quæ avolarant, in proximæ domus faſtigio vidi. Nec dubitare ob innumeros teſtes, nec anni ob tempus potui, quin avolaſſent ex tabulato, quod & alios ſturnos ſemivivos in ſuo cavo oſtendebat. Avolaſſe, & eos deinde aliquot dies poſt cantitaſſe, ab ipſis domeſticis meis teſtibus intellexi. Mira autem de ſturnis res non erat,

niſi quod ante a noſtratibus obſervata non eſſet. In ſtramineis enim Hollandorum Borealium tectis, quotannis, latentes ſturnos per hiemem inveniri ſcribit Hotunus, ſcripſitque Jonſtonus pariter eos latere in Sileſia.

(34) *Verſu* 320. Ad Merulas in Gothia, & omni ſeptentrione frequentiſſimas qui reſpicit, & merulas aves neget latentes, omnem mihi videtur abdicare rationem. Fert frigus ſatis durum merula; non igitur modico autumnorum frigore externata, fugam, ut neque noſtris ex terris, capeſſit. Sed Gothica, acriore & ſubitaneo frigore urgente, quantum maris & terræ tardivola pervolet, antequam terram pertingat hibernaculis ſuis aptam? cumque, nullam faciat ut moram, neceſſitas properandi jubeat, ubi, & unde viaticum, cibus ſcilicet neceſſarius? Revertatur deinde in Sueciam, & revertatur inviſa! revertatur nidorum tempore, & tam ſera revertatur, ut, ubi avis frequentiſſima eſt, unipara ſit! actum ago, & verſuum meorum claritati diffiderem, plura adjiciens.

(35) *Verſu* 336. Merulæ peregrinaces, & vere novo ad ſeptentrionem rediturae, eo tempore, quo iter inciperet, ut aliæ tepidis in locis manſuræ, Venerem & partus deſideria ſentire inciperent. Eoque vehemente ſenſu præditas quatuor & forte quinque ſeptimanarum iter inſtituere velle aut poſſe quis credat, vel qui greges per tot intermedias terras inviſos ire crediderit? Naturæ imperia alteris naturæ imperiis cedere, ſcribit mihi, datis propterea literis, Nozemannus. Quam doleo optimum & ſapientiſſimum virum tam a recto ſenſu diſcedere! Naturæ imperia nunquam pugnant. Hominibus verum oſtendere, omittendum eſt, ſi merulas tot adductis in poëmate meo rationibus, in longinquum peregrinaces non oſtendero. Anſeres primo tepido poſt hiemes die, per cœlum remeare videmus, an in ultimam tamen Gothiam rever-

tan-

Digitized by Google

tantur nonnulli, valde dubito. Nonnulli eo tempore, nidos ut inchoent, hærent, & in noſtris Batavisque lacubus morantur. Idemque & aliis complurimos facere in locis, antequam ad patriam usque perveniant veroſimile eſt. Supervacaneos, me judice, expulerit ſeptentrio, non ut repoſcat, ſed ut exules aliis terris nutriendos, aliisque terris utiles aut neceſſarios committat. Quid vero ad anſeres Merulæ? Tardivolas & remeare nusquam viſas, feſtinati partus avidiſſimas merulas, partus primi & ſecundi partus tempore in Arctum remittere, inconſiderantia eſt, & major, quam quæ refutari mereatur.

(36) *Verſu* 363. Unſingis, amnis præcipuus provinciæ Groninganæ, a Tacito, quod magno ſibi ducit honori, commemoratus (Annalium primo cap. LXX) ſicut agri Groningani a multis retro ſæculis partem tertiam nomine ſuo induit, tam de ſuo deſignet nomine omnem exiguam provinciam, quam Tiberis omne Latium terram Tibridem, terramque dixit Sebethidem Agrum Neapolitanum Sebethus, nullatenus Unſingi comparandus. Eſt quidem Unſingis non tam longi curſus quam Tiberis. Sed cum urbs Groninga ab Oceano æquo diſtet intervallo, ac ob Oſtiis Roma, magis intra urbem, quam circumluit interius, naviger eſt, quam intra ſuam celeberrimam Romam Tiberis noſtro ſaltem tempore. Originem ducit ad quindecim ſupra Groningam millia in agro Drentino, lacumque permeans Larium, a tribus ita dictum vicis, quos Romani ad lacum poſitos Tres Lares dixere, deinde, uti jam in lacu, naviger agrum urbis, urbemque ſubiens, portumque urbi ſatis magnis navibus acceſſum præſtans, Oceano illabitur ad viginti ab urbe paſſuum millia.

(37) *Verſu* 367. Multæ aves, uti jam ſuperius dixi, tempore veris captæ caveas ferunt, quæ per autumnum caveis immiſſæ protinus moriuntur, non alium, credo, veriſimilem ob cauſam, quam quod ||tendi

deſiderium aut neceſſitatem non ferant. Latent diutius Hyperboreæ, quam quæ apud noſtrates latent. Quid avibus eveniret igitur ſubitaneo curſu ex ultima Arcto, ad nos & ulterius verſus auſtrum delatis? Natura igitur, ſi quas ſupervacaneas aves ex Arcto verſus auſtrum dimittit, pedetentim, & per plures annos eas propellit, primaque hieme eas non niſi in vicinia detineat patriæ, ut, quas profugas jubet eſſe, ſapientiſſima matrum conſervet.

(38) *Verſu* 389. Germani Torquatam dicunt *Berg Amſel*, id eſt montanam, & *Rots Amſel*, id eſt rupeam. Locisque ſcopuloſis & montanis hanc merulam gaudere omnes fatentur, in hoc ſcriptores unanimi. Apud populos tamen pleroſque denominatam a torque video. Noſtrates enim & Angli, & Germanorum compluriмi hanc *Ring Merel*, *Ring Ouzel*, & *Ring Amſel*, id eſt merulam annularem dixere. Galli, quos ut lingua ſua maxime gentibus influentes, ante alios indicare debueram, hanc pariter a torque ſuo denominarunt, *Merle a Collier*. Veteri tamen linguæ ſuæ vocabulo ſubſtituit novum illuſtriſſimus Guenaldus, idque popularibus ſuis non ut aptius commendat, ſed aſſumendum quodammodo imperat. Sed cum vocabulum ejus a re oculis parum ſubjecta, vulgoque hominum incognita petitum ſit, vereor non adoptandum fore. Vocat enim hanc merulam a pectorali ferreo, quod loricæ ſuper induerunt milites medii ævi: quodque milites non album, uti merulæ, geſſerunt, ſi jam iſtud pectorale ferreum omnibus ante oculos eſſet. Deinde *Merle à plaſtron blanc*, vocabulum tam longum, ut non niſi ab admodum otioſis ſit pronuntiabile.

(39) *Verſu* 423. Petrus Belonius Gallus (qui, cum mediis ſæculi XVI annis Græciam, Aſiam minorem, & Ægyptum peregrinator attentiſſimus vidiſſet, in patriam redux luculentum opus de avibus omnigenis Pariſiis in lucem dedit anno 1555). Torquatas merulas non niſi in

Mo-

Moriennæ ſaltubus ſcribit inveniri. Inter omnes conſtat, Moriennam Subaudiæ partem eſſe perexiguam, Alpibus citra Ciniſium montem interclusam. Merulis nigris & torquatis quod abundet non tantum Morienna, ſed omnis Subaudia, ipſe pertranſiens Alpes vidi, non modo magno eas numero menſe Novembri in nivibus ludentes conſpicatus, ſed ex iis etiam in omni diverſorio pranſus & cœnatus. Idque ſicut Belonii fidem commendat, imminuit Geſnerus, eodem anno, quo de Avibus Belonius, & ſuum omnibus notum opus edens: in eoque teſtatus merulas Torquatas ſub Alpibus, qui Germaniam ſpectant, in vicinia ſcilicet Tiguri inveniri. Earumdemque avium, ut ſibi propinquarum, non modo mentionem, ſed & deſcriptionem fecit paulo poſt Geſnerum ſcribens Aldrovandus. Credas igitur Belonium Torquatas ex ſua tantum & amicorum adjecta cognitione deſcripſiſſe. Sed quare Merulæ Torquatæ, uti in verſibus dixi, ſub finem prioris ſæculi aucupibus noſtris non modo incognitæ, ſed & ineunte ætate mea perraræ in ſilvis noſtris advenæ fuerunt? In verſibus dixi, complurimas nunc advenire & longe ocius quam pridem. Et cur eas credam ex longinquo approperare? ſuas omnes barbatulas vidit Geſnerus. Ego qui tot torquatas vidi & cepi, barbatulam ne ſemel quidem vidi, & nullus noſtratium pariter barbatulam vidit.

(40) *Verſu* 440. Dixi in verſibus Torquatam ad nos venientem montibus & præſertim Herciniis innatam videri. Uti ex variis ejus moribus non nimium feris & hominum fugitantibus id collegeram, ſic Merula mea jam deſcripta maxime id idem videor doctus fuiſſe. Per primos menſis Octobris dies veſpertinis horis ex villa mea ambulatum iens, caſulam ſatis ſolitariam pertranſiens, ad ſuilis oſtiolum ſtantem vidi, tamque ex propinquo, ut bacillo manibus geſto avem contigiſſem. Hæſitans ad conſpectum, avemque ante pedes paſcentem conſiderans, meque, ut videbatur, ſubinde reſpectantem, credebam merulam captam,

 la-

Digitized by Google

laqueis læſam, aut ex caveis dilapſam fuiſſe, indeque diſpoſui me, avem ut manibus prehenderem: ſed vix incurvato pectore, avolantem & celerrimo volatu vidi in haud procul poſitas ſilvulas ſe corripientem. Adjeci igitur hoc verſibus, non dubitans, avis inde cognitior quin videatur.

(41) *Verſu* 448. Torquatam inſtar Merulæ nigræ canentem deſcribit Salernus, Medicus Aurelianenſis, noſtri ſæculi ornithologus. Idque, uti credendum ex teſtimonio ſatis boni ſcriptoris, ex veriſimilitude mihi perſuaſiſſem. Omnia cum nigra merula habet communia. Aves deinde vermivoras omnes vocales valde, ſi non muſicas reperieris.

(42) *Verſu* 485. Sicut unicuique apparet ſatis, me non ſerio exigere, ut palatum de avium cognatione ex guſtu carnium judicet. Sic eam tamen paritatem profiteri auſim tanti & pluris forte valere, quam quæ cognatio ex pari pennarum numero in cauda aut in alis obſervato ſequeretur. Ex Linnæi argumentis eveniat, ut aves mutæ cum canoris, pacatiſſimæ cum rapacibus, mundæ cum immundis *ſocientur*. Et ſi inde granivoras tantum cum vermivoris neceſſario conjungeres, eutaxiam ſcientiæ naturalis offenderes ſatis. Dicat aliquis agreſtibus ſed ſani judicii arbitris, accipitres & columbas, bubones & luſcinias, cornices & mergos cognatas valde aut ejusdem generis volucres videri; idque videri, quia naturalium rerum ſcientia jam multo magis exaucta eſt, quam prius unquam fuit: Auctores ſcientiæ non auxiſſe ſibi rationem, abſurdi & delirantes videbuntur, vel ſi plauſum eos ab hominibus verè doctis meruiſſe dixeris. Aves, quas nominavi, apud Linnæum forte unius generis non ſunt. Sed unius generis animalia apud ipſum ſunt homo, ſimia, & veſpertilio. Qui ſimiam non modò, ſed veſpertilionem alatum cum homine, ut agnatos, conjungat, quas non ille cognatas faciat volucres? invideantne agreſtes arbitri novam illam

Lin-

Digitized by Google

Linnæo & ejus diſcipulis cognationem? opiniones eatenus paradoxæ numquid omnem doctis hominibus fidem & reverentiam detrahunt? numquid avertant adoleſcentes a ſtudiis ſano natos cum judicio? numquid Linnæi & ejus diſcipulorum ſcholam ſubiturus, abdicet ſe primum judicio? Sed ſi in eam ſcholam admittendis judicio non opus eſt, opus eſt memoria. Doctus Plinii & Ariſtotelis nomina, nova a Linnæo ſubſtituta videbit omnibus non modo volucribus, ſed & quadrupedibus & ipſis herbis. Memoriam, credo, diſcipulis acuere voluerit eâ nova Linnæus meditis fatigatione. Obruit & feliciſſimam eatenus memoriam obruit, ut hominis barbari vocabula ex ejus ſchola abegerint aliquos qui ſubmiſſo famæ ipſius judicio ſcholam intraverant. Dixi hominem barbarum, non quia Gothus eſt, & ex ea lumen ſuum protendit terra, unde olim Græcis & Latinis ſcientiis tenebræ ſunt inductæ. Revereor, ut cultiſſimos & eruditiſſimos viros, ejus populares. Barbarum dixi, quia ſine auribus natum tot barbara docent data rebus vocabula. Eæ novæ & diſſonantiſſimæ voces fore uſu ut invaleſcerent, quî ſperare potuerit, non viderem, niſi ab aliquibus adoptatas viderem. Sed deſipere qui docet, facilius diſcipulos invenit, quam qui eſurire, & qui eſurire docuit, diſcipulos invenit. De humani generis judicio non deſperandum eſt. Et uti dixi in Gavia mea, de eo etiam agens:

Ventura peritior ætas
Surget, & huic operi partæque per irrita famæ
Conſtituet pretium. Veterum mihi more ſequenti
Naturam, nec res ex tegmine, fortuitisque,
Spectanti, ad dignas animo ſuccedere ſpes eſt
Notitias: tabulaque in parva oſtendere magnas
Si nequeo, ſtultas fugiam dare, garrula quasque
Prodat anus, pennasque coquo detraxerat alis.

(43) *Verſu* 502. Fivela agri Groningani amniculus, ut verbis Menſonis Altingii clariſſimi popularis noſtri utar, tertiam agri partem, ſicut & naviger Unſingis, a multis retro ſæculis denominavit, eam ſcilicet partem, quæ ab urbe ad orientem & verſus Amiſii oſtium ſiniſtrum vergit. Iſque ager quia ex fertiliſſimis eſt provinciæ, in eo ſilvis parcitur, vel & circum villas patriciorum.

(44) *Verſu* 508. Eſt inter ornithologos, qui ex nigra merula non modo torquatam ſed & Arcadem Ariſtotelis merulam naturæ aberrantis luſu profectam exiſtimat. Tam levis hæc eſt judicii aberratio in ornithologo, ut propterea ipſum nominare, cenſuram videretur prodigere. Qui vero Gallus homo, Latinè ſcribens, turdorum genus *turdinum* vocat, quique a viſcivoro turdo non modo omnes turdos, ſed & merulas profectas docet, quique nigram merulam decimi generis turdum, torquatam dicit duodecimi, turdosque deinde varios ad ſexaginta ſex dinumerat, ut prodigioſus turdorum cognitor, ne dicam generum conturbator, oſtendi mereretur, ſed non libenter accuſator viderer, & Gallo homini, qui tanti exteros facit, ut latinè ſcribere hoc ſæculo dignatus ſit, verecundiam debeo. *Turdinum* quidem genus apud ipſum videns, primo intuitu non agnoſcebam. Aves *Turdines* mihi incognitas, & ob tam innumera earum genera exoticas ducebam valde. Sed mox grammatici errorem videns, barbariem vocis excuſavi, commiſſam ab Academico viro Dalemberti ſocio. Is enim tanti judicii vir Dalembertus! permiſit ſcientiarum enucleatoribus ſolis Latine ſcribere, ſed quoquo modo ſcribere: ne quis ſcilicet terſe ſcripturus operam perdat. Operam vero perdet ſcriptor, qui vix, & ita difficulter intelligitur, ut propterea rejiciatur. Et ſi ob res maximi momenti, quas doceret, non rejiceretur, barbara & inculta verba poſteris ſcriptorem facere, inverecundum videtur. Potuit igitur Dalembertus, nonnullam Latine ſcripturis diligentiam permittere, præcipuè Gallis, quibus id culte præ-

Digitized by Google

præſtare perfacile videtur, ex tot cultis & ad gentis gloriam facientibus ſcriptis.

(45) *Verſu* 530. Hieronymus Cardanus, medicus Inſuber, & inter ſummos ſæculi XVI phyſiologus, anſerem cum ad ducenteſimum audierat annum perveniſſe, contempſerat famam ut nugivendulam. Sed cum advenam ferum ſibi offerri elixum in menſa juſſiſſet, & non manducabilem inveniſſet, coquo dedit recoquendum, alteraque die non magis manducabilem deprehendens, mutavit ſententiam, quam de anſerum vita in aliquo jam edito opere prodierat. Sapuit Cardanus, & ejus ſapiens ſuper anſeris longævitate judicium referens Aldrovandus non ſatis æſtimare videtur. Æſtimet vero unusquisque, neceſſe eſt. Aves enim, quas, ut cibum, teneris fibris deprehenderas, vix manducabiles & cartilagineas qui inveneris, tuto inter longæviores numeres. Nullis ornithologorum hoc pro regula eſt, regula vero & ſatis docens eſſe poteſt, præcipue aliæ id idem notæ cum ſignificarint.

(46) *Verſu* 540. Avibus pulveratricibus ſicut multo ſabulo ornithotrophæi inſpergendum eſt ſolum, ſic balneatricibus immittendus eſt caveæ canaliculus, lacunculæ præſtans lymphas, quibus identidem vel & hieme ſe immergunt merulæ, & picæ, ut ſæpius vidi. Præſcripſit id idem merulas alentibus Varro, idque ſi quis omiſerit, breve intra tempus verminant plumæ, & cutis. Cavea deinde patens, alta ad duos pedes & ſemiſſem merulæ, & ad duos pedes lata ſit, neceſſe eſt. Quæque in aviariis majoribus junguntur merulæ diſpari ſexu, longius obſervantur vivere, quam quæ cavea ſingulæ ſeparantur.

(46*) *Verſu* 544. Franciſcum primum Galliæ regem merulam judicaſſe luſcinias cantu viciſſe, invenitur apud Belonium & apud alios avium ſcriptores. Apud Romanos quanto ob cantum in pretio eſſent me-

Digitized by Google

me ulæ, teſtatur poſt Varronem Plinius major, nec ſecius Plinius Minor: cujus ſcilicet tempore erat Romæ conſularis vir, nomine Regulus, ob eloquentiam a Martiali laudatus, qui, cum unicum extinctum lugeret filium, quidquid pretioſum filio in delitiis fuerat, rogo ejus juſſit immitti, merulas vero circa rogum occidi, ne filii delitias poſt lætos dare cantus audiret. Sed cum omnia, quæ Romanis delitiæ fuerant, inſecuta poſt barbaries aut abrogaret aut obliviſceretur, ſingulare eſt merulas cantus gratia alere, non deſitum fuiſſe. Quod barbarorum judicium aves cantatrices non minus videtur commendare, quam quod de earum cantu eruditiores auriculæ teſtatum reliquere.

F I N I S.

Digitized by Google

ERRORES TYPORUM.

Pagina 20 linea 2 *prolo*, — lege — polo

42 — 9 *pariut*, — l. — pariunt

44 — 4 *Salengrius*, — l. — Salernus.

66 — 7 *Aërea*, — l. — Aëria

73 — 20 *en* — l. — in Ægypthum

74 — 14 *itirationibus*, — l. — itineribus

74 — 20 *mirum eam & tamen ſcriptoribus* — l. — mirum? Eam vides jam ſcribentibus

76 — 2 *quo* — l. — quid

76 — 15 *vedere* — l. — vidêre.

82 — 14 *evaguante* — l. — evaganti

96 — 3 *His* — l. — Mas

167 — 29 *invideant diſſidia* — l. — invidia diſſideant.

223 — 20 *minor: caudata* — l. — minor caudata

223 — 21 *quamquam* — l. — quam

238 — 4 *eas* — l. — eos

278 — 8 *parte* — l. — parte.

274 — 1 *Quintêlium* — l. — Quintilius Dux

285 — 20 *Sunt ſed* — l. — ſunt. Sed

286 — 13 *profugiunt* — l. — profugiunt.

286 — 22 *Decimi quinti* — l. Decimi ſexti

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google